



# **Specimen juridicum inaugurale continens commentarium in art. 92 leg. de re judiciali**

<https://hdl.handle.net/1874/340449>

W

OPUSCULUM JURIDICUM INAUGURALE

SCRIPTUM

COMMENTARIUM IN ART. 92 LEG.  
DE RE JUDICIALI.

PER

GEORG. GUILIELM. VREEDE,

EX ACADEMIA JURIS PRAELECTORIS

GEORG. GUILIELM. VREEDE,

EX ACADEMIA JURIS PRAELECTORIS

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE

SCRIPTUM A GEORG. GUILIELM. VREEDE,

CONTINENS

OPUSCULUM JURIDICUM INAUGURALE

COMMENTARIUM IN ART. 92 LEG.  
DE RE JUDICIALI.

SCRIPTUM

PER JANUS REYNALDUS CORNER ROOFT,

EX ACADEMIA JURIS PRAELECTORIS

EX ACADEMIA JURIS PRAELECTORIS

OPUSCULUM JURIDICUM INAUGURALE

JANUS REYNALDUS CORNER ROOFT,

EX ACADEMIA JURIS PRAELECTORIS

EX ACADEMIA JURIS PRAELECTORIS

Amstelredamum

apud J. O. C. H.

1864.

XIII

...  
...  
...

XV

...  
...  
...

CONTENTS

COMMENTARIUM IN ART. 33 LEG.  
DE RE JUDICIALI.

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE

CONTINENS

COMMENTARIUM IN ART. 92 LEG.  
DE RE JUDICIALI,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**GEORGII GUILIELMI VREEDE,**

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus**

SUMMISQUE

IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

**JANUS REYNALDUS CORVER HOOFT,**

AMSTELODAMENSIS.

A. D. XXVI. M. JUNII A. MDCCCXLV, HORA I.

Trajecti ad Rhenum

APUD KOCH,

MDCCCXLV.

SPECIES HUMANI MANDUCAE

CONTINENS

COMMENTARIUM IN ART. 82 LEG.  
DE RE JUDICIALI

1792

AVVENTE SIBI SUI

DE APOSTOLICIS RECTORIBUS MANDUCAE

GEORGI GUILIELMI VREDE

1792

1792

RECTORIBUS RECTORIBUS MANDUCAE

ET

RECTORIBUS RECTORIBUS MANDUCAE

Receptoribus Receptoribus

1792

RECTORIBUS RECTORIBUS MANDUCAE

RECTORIBUS RECTORIBUS MANDUCAE

RECTORIBUS RECTORIBUS MANDUCAE

RECTORIBUS RECTORIBUS MANDUCAE

JANUS REYNALDUS CORVER HOET

1792

RECTORIBUS RECTORIBUS MANDUCAE

RECTORIBUS RECTORIBUS MANDUCAE

E TYPOGR. KEMINK ET FILII.

# INTROITUS.

PATRI OPTIMO, CARISSIMO

Uranopontis, et ceterum populorum SACRUM.

In primis, uti supra plene indicat quoddam experimentum  
in hunc modum, cui perhibito, ut in illis, extraxit  
Surgit, et cetera.

Etiam si institutum aliter quod non solum patet ex  
art. 175, 176, 118 L. R. p. 1. et 175, 176, 177 et 178  
et cetera, ut in resolutione de curia cognoscitur. Sicque Sa-  
crae curiae, uti dicitur, quia aliter non nisi secunde  
et cetera, uti supra plene indicat.

Et hinc causa huiusmodi, quae in art. 175 et 176  
L. R. et art. 177 et 178, dicitur, quia non  
solum supra tenetur, sed hinc, ut in hunc modum  
et cetera, uti supra plene indicat. Sicque Sa-  
crae curiae, uti dicitur, quia aliter non nisi secunde  
et cetera, uti supra plene indicat.

PATRI OPTIMO, GABRIELINO

MICHIGAN

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARY

# INTROITUS.

## CAPUT I.

Unusquisque diversorum populorum rem judicariam inspiciens apud longe plures judicium quoddam supremum institutum videbit, cui jurisdictio, ut ita dicam, extraordinaria est delata.

Ejusmodi institutum etiam apud nos adesse patet ex art. 175, 176, 177 L. J. junc. art. 87, 88, 92 et 93 R. J. ubi nonnullarum causarum cognitionem Senatui Supremo competere docemur, quum aliae non nisi secundo aut tertio loco ejus judicio submituntur.

Ex hisce causis imprimis eae, quae in art. 175 et 176 L. J. et art. 92 R. J. memorantur, dignae, quae accuratius pertractarentur, videbantur, ita ut, an haec materia satis accurate in legibus nostris descripta esset, quod attinet et ad cod. Qu. Crim. et ad cod. poen. inquireretur.



Antea vero paucis agendum de eodem apud alios populos instituto, et ostendendum, quaenam rationes legislatores impulerint ad extraordinariam ejusmodi jurisdictionem constituendam, quinam sint ejus fines, et quomodo judicium ipsum constitutum.

## I N T R O I T U S

Insuper ~~diversorum populorum~~ ~~tem~~ ~~judicium~~ ~~in~~ ~~quibus~~ ~~apud~~ ~~longe~~ ~~plures~~ ~~judicia~~ ~~quodam~~ ~~superannu~~ ~~instituta~~ ~~videbit~~ ~~enim~~ ~~jurisdictione~~ ~~ut~~ ~~ita~~ ~~dicitur~~ ~~extror-~~ ~~dinaria~~ ~~est~~ ~~delata~~.

Ejusmodi instituta etiam apud nos adesse patet ex art. 175, 176, 177. L. 7. June. art. 87, 88, 92 et 93. R. A. ubi nonnullarum causarum cognitionem Senatui Sa-  
prio competere docentur, quam alio non nisi secundo  
aut tertio loco quibus iudicio submittantur.

Ex hisce causis impensis esse, patet in art. 175 et 176.  
L. 7. et art. 92. R. A. memorantur, diligere, quae acco-  
raria pertinetur, videbantur, ita ut, ea haec mate-  
ria satis accurate in legibus nostris descripta esset, quod  
attinet et ad eod. Qu. Crim. et ad eod. poen. impenditur.

# CAPUT I.

## DE JURISDICTIONE EXTRAORDINARIA APUD PRIMARIOS

### EUROPAE POPULOS RECENTIORES.

#### § 1.

*De causis quae ad jurisdictionem extraordinariam instituendam permoverunt.*

In regimine feudali eodem modo ac vasallorum, iudicium introductam esse hierarchiam satis est notum, et neminem alii jurisdictioni fuisse subjectum, nisi quae a sociis ejusdem domini superioris vasallis exerceretur; inde eos, qui de summo principe ipso feuda tenebant, iudices agnovisse ceteros ejusdem gradus vasallos sequitur, qui supremi concilii regis socii ordinarii erant, aut potius, ex quibus hoc concilium constabat, quod non modo ad ju-

risdictionem exercendam, sed etiam et potissimum ut regi suaderet, et ut iis, quae rex sine vasallorum consensu facere non posset, consentiret, convocabatur 1).

Sequebatur igitur ex regimine feudali consilium regis jus dicere in omnibus causis contra primos vasallos institutis, et quum hi vasalli fere semper primis in regno muneribus fungerentur, delictorum, quae in his gerendis committi poterant, cognitio tota penes hoc concilium erat.

Hoc toti Europae commune institutum rerum conversiones fere ubique mutarunt, at in Anglia, ubi res publicae magis mutato rerum statui adaptatae, quam ipsae mutatae sunt, haud exigua pro parte etiam hodie viget jurisdictio illius concilii 2), quod, adhuc sub nomine curiae parium (*house of lords*) cognitum, exercet omnem jurisdictionem poenalem in socios, ultimo loco in omnibus causis invocari potest, et tandem de iis cognoscit, qui a concilio inferiori (*house of commons*) accusantur.

Oriente enim et increcente concilio hoc altero, post nonnullas disputationes, utrum jurisdictio utrique competeret, an penes solum superius maneret, hoc judicante, illud sibi vindicavit jus accusandi, quemcunque deliquisse existimabat, fortasse quum se ad defendendam populi libertatem et securitatem institutum crederet, et inde omnia fa-

1) Eadem parlamentorum Francicorum erat origo et Curia Hollandica, quae erat ante rerum conversionem anni 1795, initium capiebat in Concilio comitis. Cf. Mauregnault: *Juridique observationen*, p. 182 sq. et etiam *Tegenwoordige staat van alle volken*, Tom. XIV, p. 212.

2) Origo tamen hujus Concilii in Anglia non fuit in omnibus partibus eadem ac apud alios populos. Violentia enim et celeritas, quae locum habuere in instituendo regimine feudale in Anglia, etiam hac in re vim suam exercuerunt. Cf. de Lolme, *The constitution of England* I. 1. p. 13 et Rey, *Institutions Judiciaires de l'Angleterre comparées avec celles de la France*, II. p. 6, 9, 14 et Blackstonii loca ibi citata.

cinora, quae contra hanc libertatem committerentur, persequi debere.

Accusabat igitur concilium inferius, et ad nobiliorum tribunal dimittebat, non modo primarios in civitate, sed etiam saepe privatos, nullo modo conspicuos, qui quaecunque delictum contra civium libertatem, aut quo jura fundamentalia laesa erant, commiserant 1).

Haec videtur fuisse origo jurisdictionis, quam in Anglia exercet concilium superius, vis, quam ejus exemplum in eodem instituto alibi constituendo habuit, sine dubio magna, at quaenam fuerit vis, quam exercuit eadem vetus consuetudo, antiquum placitum Germanicum, per totam fere Europam diffusum, neminem alii quam parium jurisdictioni esse subiectum, ad talem extraordinariam jurisdictionem formandam 2)?

Praeter hanc rationem historicam aliae sunt politicae, quarum primaria dici potest metus, ne iudices a potentiori reo vel accusatore corrumperentur, aut favore et odio populari moverentur; quum enim, ut infra videbimus, fere semper summis in republica honoribus insignes extraordinario iudicio submittantur, et causarum, quae prae ceteris totum moveant populum, cognitio ei sit delata, quot tentamina ad jure accusatum absolvendum, sive a reo ipso, sive ab iis, qui maleficiorum fuerint participes, aut qui ex iis fructus perceperint, fieri possint, quot insidias inimici, ut recte munere suo functus, sed qui fortasse hoc ipso mul-

1) Primum exemplum accusationis contra primum civitatis a Concilio inferiori prolatae fuit anno 1376. privatorum ab eo accusatorum exempla sunt Montpesson et Mitchell, anno 1621. cf. Mohl, *Die Verantwortlichkeit der Minister*, Tubingen 1837, p. 604 et 622 et Hallam, *Constitutional history of England*, cap. VI. vol. I. 262 sqq. (ed. Baudry).

2) De toto hoc argumento. Cf. Meyer, *Institutions Judiciaires II*, cap. 9 et Rey, *Op. laud.* I, p. 71. II, p. 72 sqq. p. 101.

tos alienaverit, condemnetur, adstruere desiderent, unicuique patet; quibus consideratis laudanda omnino videbitur institutio, qua haec causae iudices accipiunt tanta praestantia gaudentes, ut alliciis, comminationibus, voce populi commoti quam minime quatiantur.

At non solum iudices summa praestantia eminere oportet, sed etiam quis sit reipublicae status, bene tenere, ita ut interiori hujus rei notitia prae aliis excellent; sunt enim delicta in quibus puniendis non tam malitiae, quam in auctore adesse ostendunt, quam temporum, quibus committuntur, ratio est habenda: regiminis formam v. c. immutandi conatus, multum differt, utrum tempus, quo populus variis modis sit perturbatus, perpetretur, an omnibus quietis, utrum fiat bello cum exteris furente, an pace florente. Idem dicendum, si quis summum aliquod munus gerens, quod auctoritate sua abusus sit, accusatur; quaestiones, an quis fines lege positos egressus sit, an cives in iuribus exercendis coercuerit, haec quaestiones quam maximas continent difficultates, totius societatis immo fundamentum attingunt, unde rerum publicarum scientia imprimis opus esse facile intelligitur. Haec videtur tertia fuisse causa extraordinarii instituendi iudicii, cujus socii, sive quia ad id ipsum nominantur, sive ob munus, quo jam funguntur, hanc requisitam scientiam tenent.

Imprimis primarios in civitate huic iurisdictioni subjectos esse supra jam animadvertimus; fortasse quis ab eorum dignitate alienum esse, quod inferiorem iudicem agnoscerent, diceret, et hanc etiam quartam, ut extraordinarium iudicium instituatur, causam cogitaret. Revera non negandum videtur, hanc causam saepius vim suam exercuisse, an recte vero, dubitari potest, imprimis, si sermo est de iis, qui non jure haereditario, sed nominatione aut electione prae

aliis excellent. Non video enim, quomodo civi lege aut, ubi pro lege intercedit, consuetudine auctoritate praedito, dedecori esse possit eundem agnoscere judicem, quem et ceteri cives agnoscunt, quamquam hoc melius defendi posse de eo, qui non lege sed origine excellat, cui auctoritas, qua fruitur, jure hereditario competat, non nego.

Ubicunque tandem societas ita sit constituta, ut jura et obligationes populum inter et principem pactione quadam sint definita, et uterque in republica gubernanda officio suo fungatur, quaestiones oriri debent, vel saltem facillime oriri possunt de utriusque auctoritatis terminis. Ad controversias hujus generis dirimendas apud nonnullas gentes institutum summum judicium extraordinarium, quod dijudicet quaenam sint populi, quaenam principis jura et obligationes, quod etiam jus dicat in causis ubi de his juribus violatis agitur 1).

Alia praeterea causa adest in iis rebus publicis, quae ex pluribus inter se conjunctis partibus, singulis supremam auctoritatem exercentibus, constant; exemplo sint Americae Septentrionalis civitates unitae. Tale quoque si apud nostrates adfuisset collegium, famosa legum violatio, quae anno 1619 locum habuit, evitari potuisset 2).

Hae videntur esse causae, quae ad summum extraordinarium judicium instituendum adduxerunt; alius alia motus fuit legislator; saepe duo vel tres simul vim suam exercent, quod et ex delictorum, quorum cognitio ei est delata, descriptione, et ex personarum, quae ejus jurisdictioni sunt

1) Hanc rationem iniiit Mohl in operis laudati introitu. Cf. etiam L. J. Wurtembergensis anni 1819, § 195 et Saxonica anni 1831, § 142.

2) Cf. J. D. Meyer, *Esprit. Origine etc.* Tom. IV, p. 22, et imprimis H. Grotii *Apologia*, cap. XV, *Van de nulliteyten ende excessen in 't verleenen van de commissie ende stellen van de Rechters.*

submissae, enumeratione, et ex poenas infligendi facultatis, quae ei competit, definitione colligere licet.

§ 2.

*De jurisdictionis extraordinario judicio concessae finibus.*

Ex iis, quae supra de origine et ambitu concilii superioris in Anglia jurisdictionis diximus, eam delictorum et personarum ratione satis indefinitam esse statim patet. Simulac enim veros civium libertatis defensores se crederent concilii inferioris socii, omnia contra hanc gesta persequerentur, et quot, quamque varia, maleficia hoc modo ad nobiliorum tribunal deferri possent, nemo non videt; praeterea ex ipsius instituti origine socii ejus solos socios judices accipiunt 1).

Quum inter Britanniae et aliarum civitatum instituta haec imprimis magna sit differentia, quod Britannica lapsu temporum formata, et solummodo mutato rerum ordini adaptata sunt, alia contra solius legislatoris voluntate introducta, non usu et consuetudine, unusquisque apud populos posteriori regimine usos diversorum institutorum fines multo accuratius, quamquam fortasse minus apte, descriptos esse facile intelligit, quod universe verum, etiam de extraordinario judicio dicendum.

Variis singulorum populorum collatis institutis, tres esse

---

1) Initio haec jurisdictio etiam civilis erat; lapsu temporum vero sola poenalis mansit, ita ut hodie concilium superius nullas causas civiles sibi subjectas habeat nisi provocatione a iudice inferiori facta, et eas, quae spectant sociorum statum civilem, ejusmodi exemplum nobis praebuit causa, quam ante annum protulit Augustus d'Este. Cf. etiam Cooper, *Lettres sur la cour de la chancellerie d'Angleterre*, lettre 23.

normas, quas sequi potuerint legislatores, patet; aut enim unice personarum rationem habuerunt, aut delictorum certam quandam naturam poposcerunt, aut tandem utrumque conjunxerunt, ita ut extraordinario judicio solius certi cujusdam delicti a certa persona lege nominata commissi competeret cognitio. Animadvertendum tamen eundem legislatorem saepe, tum hanc, tum illam secutum esse normam.

Qui inter causas, quas supra memoravimus, ad instituendum extraordinarium judicium moti sunt metu, ne iudices accusati praestantia aut excelso loco a justitia rite distribuenda deterrentur, aut quia ejus status illustriorem iudicem jure sibi poscere videbatur, omnia delicta ab ejusmodi persona commissa extraordinariae jurisdictioni subicere debebant. Facile esset multa diversorum populorum instituta enumerare hujus rei exempla, sed hoc loco animadvertere personas ex hac causa extraordinario submissas judicio semper primarios esse in civitate sufficiat; qui v. c. toti regimini praesunt 1) (nisi hi sanctitate fruantur), Regis gentiles 2), administri 3), coronae officiales 4), delegati ad ordinum concilium 5), summi imprimis qui jure haereditario huic adscribuntur 6), summi

1) Cf. const. Francicae anni 1795, art. 132, junctis art. 153, 112-123, 265 sqq. et const. Bat. anni 1798, art. 83, 294, 145, 71-82, ubi art. 294 contra art. 73 pugnare videtur. Huc etiam pertinet const. Bat. anni 1801, art. 91. Minus h. l. ad rem civitatum unitarum Americae septentrionalis praeses; cf. const. anni 1787, art. 2, sect. 4, et p. sq. not. 4.

2) Cf. Sectum Org. d. 18 m. Maji anni 1804, art. 101, et const. Hisp. anni 1808, art. 108.

3) Cf. inter alias leges fundamentales nostrae anni 1805, art. 79, et anni 1814, art. 104 et 105.

4) Cf. Sectum cit.

5) Cf. const. Batavas et Francicas in not. 1 citatas.

6) Cf. quae supra de concilio superiori in Anglia diximus, et praeterea lex Napolcontica d. 22 m. Aprilis anni 1815, art. 16, et Chartae Francicae anni 1814, art. 34, et anni 1830, art. 29. Huc etiam facit pactio Suevica anni 1772, no. 15.



principis conciliarii 1), iudices 2) etiam, saltem qui supremo sunt loco, hi omnes hoc loco in censum veniunt.

Aliam viam inierunt, qui non tam auctoris praestantia, quam causarum gravitate moti fuerunt; hi enim solius delicti rationem habuerunt, ita ut nihil ad rem, quis id commiserit, faciat. Delicta haec sunt prae ceteris ea, quae ad totum civitatis statum pertinent, quibus securitas ejus interna vel externa periculum subiit, conatus v. c. ad regiminis formam mutandam 3).

Tandem in censum veniunt, qui et personam et delictum conjunxerunt, ita ut certa solummodo delicta a certis personis commissa persecutioni coram iudicio extraordinario locum dent. Imprimis huc trahenda delicta a magistratibus in munere gerendo commissa 4), quod tamen non semper de omnibus magistratibus est dicendum. Quum enim alii omnes quodcumque munus gerentes ad extraordinarium transmittunt iudicium, alii solorum illustriorum rationem habuerunt, et praeterea in hac materia ordinanda vim suam exercet quaestio 5), an, et quatenus, inferior superioris jussa exsequens persecutione poenali gravari possit, solutio. Iidem hoc loco in censum veniunt magistratus, quos supra memoravimus 6).

1) Cf. art. cit. const. Bat. anni 1814.

2) Cf. Setum cit. Codex Batavus de Re Judiciaria anni 1809, art. 126, omnium delictorum a iudicialibus magistratibus commissorum cognitionem ad summum iudicium deferebat.

3) Cf. const. Francica anni 1791, art. 23, et Setum anni 1804, art. 101, et chartae anni 1814, art. 33, et anni 1830, art. 28, *La crime de haute trahison et attentats à la sûreté de l'état*.

4) Cf. e. g. const. Bat. anni 1798, art. 294, et p. 9 not. 1.

5) Hac de re etiam agit Mohl in op. laud. p. 53 sqq.

6) Hac pertinet Setum Org. anni 1804, art. 101, c. Quod attinet ad iudices, const. Bat. anni 1798, art. 291, peculiare instituit iudicium

Non vero semper delictum in munere gerendo esse commissum requiritur; saepe enim delicta quaedam nominatim enumerantur, quae sola tali persecutioni locum dare possunt 1).

Alibi sola legem Imp. laedentia delicta satis magni visa sunt momenti, quae extraordinarium sortiantur forum 2).

Hoc loco etiam mentio facienda facultatis extraordinario iudicio delatae Leg. Imp. authentice interpretandi, quae imprimis adest apud eos populos, qui id institutum ad hanc legem servandam introduxerunt 3).

Prout apud diversos populos diversis modis definita est iurisdictio illa, quod attinet ad personas ei subjectas, aut causas, quarum cognitio ad eam pertinet, ita etiam multum abest, ut ubique eadem fruatur potestate in delicto definiendo et in poena infligenda. Sunt enim collegia quae absoluta gaudeant hac in re potestate, ita ut nulla lege opus sit contra factum in iudicium deductum poenam comminante 4).

Alia contra iisdem reguntur praeceptis ac cetera tribunalia,

(*vietschaar over de misdrijven der regters*), quod de delictis a iudicibus in munere gerendo perpetratis cognosceret.

1) Cf. Scum cit. art. cit. d. e. f. const. anni 1799, art. 72, charta anni 1814, art. 56, et const. Amer. Sept. art. cit.

2) Cf. const. Wurtf. anni 1819, § 195, et const. Sax. anni 1831, § 142. Hae constitutiones etiam ordinibus adscriptos ad hoc trahunt iudicium, quod probat Mohl op. cit. p. 58 sqq.; improbat contra v. Aretin *Staatsrecht der constitutionelle Monarchie*, Tom. III, c. 5, § 1 et 4.

3) Cf. const. Sax. art. 113. Ejusmodi quid etiam invenimus in const. Bat. anni 1801.

4) Huc pertinet e. g. Lex Imp. Belgica art. 134. Curia Parium Francica anno 1830, hanc potestatem sibi vindicavit in sententia contra Caroli X ministros lata: *Considerant, qu'aucune loi n'a déterminé la peine de la trahison, et qu'ainsi la cour est dans la nécessité d'y suppléer, frustra obnitente viro cel. de Martignac. Cf: Procès des ministres de Charles X. Hagae-Comitis 1830, p. 385 sqq.*

et effatum: *Nullum delictum, nulla poena nisi praevia lege poenali* sequi debent.

Alii rursus tertiam, mediam quodammodo, viam inierunt, ita ut iudicii extraordinarii satis absoluta sit potestas, quod attinet ad delictum definiendum, ea vero in poena infligenda quam arctissimis limitibus sit descripta, sed hoc si locum habet, necessitas praeter persecutionem coram extraordinario iudicio aliam coram ordinario introducit.

### § 3.

#### *De extraordinarii iudicii constitutione.*

Quam variae rationes ad instituendam extraordinariam jurisdictionem moverint, supra enumeravimus, vimque, quam habuerunt in ea describenda, ostendimus: nunc quomodo iudicium illud sit constitutum, videndum.

Triplicem viam inierunt legislatores; aut enim ordinario iudicio hanc extraordinariam jurisdictionem concesserunt, aut concilio cuidam politico eam tribuerunt, aut tandem proprium ad hoc instituerunt collegium.

Exempla adsunt ejusmodi institutorum, quorum iudices jurati participes erant 1), et contra sunt populi in causis quotidianis iis utentes, qui in his eos neglexerint 2).

Notissimum apud Anglos, et inde apud plures populos horum exemplum sequentes, concilium legiferum superius hoc fungi officio, sed variae sunt rationes, quas enumerare non est hujus loci, quae, ut hoc collegium ad id non sit apertissimum, efficiunt, quod etiam, quamquam minore jure,

1) Cf. const. Franc. anni 1791, art. 23, ubi legitur formula: *hauts-jurés*.

2) Cf. const. Belg. art. 90.

de ordinariis judiciis defendi potest 1); fuerunt igitur, qui, ut incommoda, quae semper collegiis non ad id ipsum institutis inhaerere deberent, evitarent, proprium ad hoc instituerint collegium, qua in re vero tot fere diversis modis quaestionem solvere tentarunt, quot populi hanc viam inierunt.

Longius esset, quamquam non injucundum, diversorum populorum instituta exponere, eaque conferre cum aliis institutis politicis; sufficiat igitur animadvertere haec judicia fere semper continere elementum juridicum, et politicum, alibi vero illud, alibi hoc dominari; qua in re non minus quam in jurisdictionis ipsius descriptione, causarum, quibus legislator ductus erat, vis videri potest.

Accusandi jus, ut intelligi potest, non semper eidem auctoritati concessum; videmus enim aut ordinarium M. P. exercentem magistratum hoc munere fungentem, aut proprios ad hoc institutos esse censores 2), aut tandem, quod apud plerosque populos viget, concilio legifero hoc officium relictum. Non minus in eo differunt varia instituta, quod alibi sententia semel lata statim vim habeat, alibi contra remedia juris contra ea sint concessa, immo jus gratiae his in causis saepe arctioribus limitibus circumscriptum videmus.

Haec nobis monenda videbantur de modo, quo hocce institutum apud alios populos ordinatum; nunc ad nostrum jus hodiernum hac de re transeamus.

1) Cf. hac de re Mohl, op. laud. p. 285-335. Hic auctor saepius jam laudatus hoc loco dijudicat quaestionem, quodnam tribunal aptissimum sit ad sententiam ferendam in causis contra administratos prolatis. Fortasse nulla argumenti, quod sibi tractandum proposuerat, pars majoris est momenti, et fatendum fortasse nullibi accuratius rem esse investigatam; cf. etiam de hoc opere *Nederlandsche Jaarboeken voor Regtsg.* en *Wetg.* anni 1843, no. 2, p. 360-373.

2) Hujus rei exemplum praebet const. Reip. Italicae, anni 1802, art. 33 sqq., 109 sqq.

de ordinariis iudiciis deest potestatem legibus, quae  
in incommoda, donec semper collegis non ad hanc iuris-  
tiam inhaerere debent, ut in his, quae in iudiciis  
tunc colligunt, quae in re vobis deest, modo  
quoniam solvere tenentur, quod populi hanc tam interit  
Longius coest, quoniam non inhaerent, illorum  
populorum iustitiam exspectat, et quoniam confiteor cum aliis  
scientia politica; sententia igitur ministraverit hanc iustitiam  
sere semper continere elementum iustitiam, et politica  
alibi vero illud, alibi hoc dominant, quae in re non minus  
quae in iudiciis deest, ut videri potest.

## C A P U T II.

### DE JURISDICTIONE EXTRAORDINARIA SECUNDUM JUS

#### NOSTRUM HODIERNUM.

quae ad hoc instituta esse censentur, cum tamen, quod  
quod hodieque populi igitur deo legitur hoc officium  
restituunt. Non minus in hoc officio vult institutum, quod  
alibi sententia iustitiam vult institutum, alibi sententiam  
remota iuris contenti iustitiam vult institutum, alibi  
in iudiciis sententiam iustitiam vult institutum, alibi

#### PARS PRIOR.

##### *De institutis iudiciariis Batavis jurisdictionem*

##### *extraordinariam spectantibus.*

In iis, quae jam diximus, saepe locutionibus *jurisdictio  
extraordinaria*, *iudicium extraordinarium* usi sumus, et quam-  
quam in universum hae loquendi formae bene adhiberi pos-  
sint, tamen, quod ad nostra attinet instituta, monendum, ne  
nimiam vim iis quis tribuat.

Cum enim aliae gentes inter causas extraordinarias et  
ordinarias tantam instituerunt differentiam, ut quam maximas  
mutationes in hac juris parte introduxerint, apud nostrates

omnia eodem modo constituta, et S. S. jurisdictione, quae ei vi art. 175 et 176 L. J. competebat, concessa, operam dedisse videntur legislatores ad instituta judiciaria quam minime perturbanda; inde sequitur regula generalis, in hac juris nostri parte explicanda imprimis tenenda: nisi totidem verbis lex mutationem adduxerit, omnia, quae in ordinaria jurisdictione poenali locum habeant, etiam in extraordinaria S. S. competente esse servanda.

Hac regula generali praemissa, ostendendum, quomodo haec materia apud nos sit ordinata, ita ut primum causas, quae legislatorem movisse videntur ad ejusmodi institutum apud nos introducendum, enumeremus, postea jurisdictionis fines describamus, et tandem de ipso judicio agamus, quo loco in modum procedendi inquiretur.

#### § 1,

#### *De causis, quibus motus fuit legislator.*

Sequens ea, quae in art. 177 et 178 L. F. jubebantur, art. 92 R. J. omnia delicta a certis quibusdam personis commissa, cognitionis esse S. S. constituit, nisi quaedam ita levissima, ut in commodum neque societatis, neque accusati ipsius esset, jurisdictioni extraordinariae eas submitti; quum igitur solummodo personarum, non vero delictorum, ratio sit habita, statim legislatorem imprimis timuisse, ne inferior judex a tanto honore fruente, tamve illustri reo, metu percuteretur, patet. Haec vero si unica esset causa, omnes officiales in art. 92 R. J. enumerati ita eminere, ut eos in judicem satis magnam vim habituros esse jure credere quis posset, deberent, quod tamen dici nequit. Neque enim magno-officiales, neque cancellarii insignium

equestrium, neque ordinum aut status-concilii graphiarum, neque rei monetali praefecti, neque qui concilio generali ad rationes accipiendas sunt adscripti, satis magna potestate gaudere videntur, ut iudex ea deterreretur a iustitia rite distribuenda.

Alia igitur causa adesse debet, et haec videtur esse, quod a dignitate eorum alienum esset inferiorem iudicem agnoscere; haec enim causa, si quam vim habeat, in omnibus his adest: alienum esse contendere potest a iudicis dignitate si ante inferius aut aequale iudicium vocaretur, alienum esset a dignitate primis in republica muneribus fungentium, qui a nemine nisi a lege iussa accipiunt, omni cuicumque iudici statim esse subiectos; idem de magno-officialibus Regis dici potest; ob familiaritatem enim, qua utuntur, immunitatis, qua Rex ipse fruitur, quodammodo participes fieri videntur.

Hae tamen rationes si solae legislatorem duxissent, actio propter delictum ante muneris aditionem commissum post eam demum instituta coram extraordinario iudicio persequenda esset; et contra, delicto a magistratu quidem commisso, sed actione, munere iam deposito, demum instituta, ordinarius iudex invocandus esset, quorum utrumque cum legis verbis *gedurende den tijd hunner function* pugnat. Videtur igitur aliam viam iniisse legislator, et dicendum eum causas, quae ex delictis in munere gerendo ab his personis commissis nascerentur, graviores fore credidisse, quae ab ordinariis iudiciis pertractari possent, et ideo eas extraordinarii iudicii cognitionis esse debere; delicta communia praeterea saepissime fore, ut ita cum illis cohaerent, ut ob causarum connexitatem divisionem fieri non liceret, et inde eum in lege scripsisse, quod per rerum naturam fere semper fieret.

Ex his jam patet hanc extraordinariam jurisdictionem aut in commodum societatis aut in honorem muneris, quo fungatur accusatus, numquam in commodum aut honorem hujus ipsius esse institutum; non est igitur privilegium fori, quo fruuntur, cui pro libitu renuntiare possint, sed est praeceptum legis, quae, dum viget, vim habere debet.

## § 2.

*De jurisdictionis extraordinariae finibus.*

Quum jam, quacnam imprimis causae legislatorem moverint, ostenderimus, nunc de jurisdictione, quam extraordinario tribuit iudicio, videndum, ita ut primo loco de personis S. S. forum sequentibus, postea de delictis, de quibus cognoscat, et tandem de legibus, quas in iure dicendo sequi debeat, agamus.

Quatuor officialium genera enumerat art. 175 L. F., quibus vi art. 176 lex de R. J. decem addit qui nullum alium iudicem nisi S. S. agnoscunt. Catalogum hujus legis inspicientes ibi omnes enumeratos videmus, qui suo periculo agunt, et a nemine nisi a lege jussa accipiunt, qui, ut ita dicam, in hierarchia politica supremum obtinent locum, et sine dubio partibus regiminis generalis praepositi, concilii status socii, ordinibus adscripti, qui in Senatu Supremo ipso munere iudiciali funguntur, eoque toti potestati iudicatrici praesunt, quique ibi ministerium publicum exercent, quibus igitur omnes inferiores hunc magistratum gerentes sunt subjecti, qui generalis ad rationes accipiendas concilii sunt participes, qui rei monetali praesunt, sine dubio hi omnes huc pertinere dici possunt.



Quod attinet ad eos, qui Regis in provinciis tenent locum, et coloniis praepositos, hi numquam jussa a superiori accipere dici non possunt; tenendum tamen permulta ab iis proprio periculo, et nemine imperante, peragi, quamobrem pro parte ad eos, de quibus hucusque locuti sumus referendi, licet majore fortasse jure ad eos pertineant, qui potius honoris causa, quam muneris vi, extraordinario judicio sunt subjecti.

Videmus enim in art. 92 R. J. enumerari legatos apud externos, cancellarios, et qui apud Regem summo honore sunt insignes, in quibus legislator aliam normam secutus videtur; hi enim non tam ob potestatem, quam ex munere habent, non tam ob insignem vim, quam in tota republica gubernanda exercere possunt, quam honoris causa ad summum judicium deferri videntur.

Magno-officiales enim officiis domesticis apud Regem ejusque familiam funguntur, quotidie ejus familiaritate fruuntur, immo familiae regiae quodammodo participes esse videntur, et est vi hujus necessitudinis, quod hoc loco in censum veniunt.

Idem obtinet in legatis; hi apud externos Regis tenent locum; quod faciunt, Rex ipse fecisse fingitur; eadem sanctitas (exterritorialitas), qua Rex in externis degens regionibus fruitur, iis conceditur. Cum legatis conferendi sunt coloniis praepositi et qui a Rege in provincias committuntur; hi enim ambo Regis locum tenere dici possunt. Ejusdem causae vis tandem cernitur in cancellariis insignium equestrium.

Quod in art. 92 enumerantur, qui curiis provincialibus et summae Curiae Militari sunt adscripti, hoc cohaeret cum art. 65 no. 3 R. J., ubi de tribunalibus idem constituitur, quod h. l. de curiis. Videbatur alienum a praestantia, qua iudex semper circumdatus esse debet, eum inferioris aut

eiusdem gradus tribunalis forum sequi. Hoc locum dedit art. 65 no. 3 R. J. et dispositioni, qua etiam curiarum socii S. S. iudicem agnoscunt, et hoc adest discrimen inter jurisdictionem, quam hoc collegium in eos, qui honore in civitate sunt praecipui, exercet, et eam, ex qua curiarum socios sibi submissos habet, quod in priori casu magis est ordinarium iudicium, cui extraordinaria potestas est concessa, posterior vero, quam exercet, jurisdictio oritur ex eo, quod est summum collegium iudicum.

Quod vero attinet ad concilii status et ordinum graphiariorum et eos, qui apud cameram rationum aut ad rem monetalem curandam collegium sunt ab actis, hi huic jurisdictioni esse subjecti videntur ratione domestica, quia, ad quae pertinent, collegiorum socii ei sunt subjecti; quod idem in curiarum graphiariis obtinet.

Has videtur normas legislator esse secutus. An vero omnium, qui secundum eas enumerandi erant, mentio est facta? an nullus hiatus in catalogo art. 92 adest?

Primo loco quaestio oritur de iis, qui stirpis regiae sunt participes. Regis ipsius immunitas, quamquam nullibi tot verbis expressa, ipsa voce *Rex* continetur. Distinctionem, quam art. 35 L. F. introduxit, accipere volo, perinde ac si hoc privilegium proximo coronae successoris tributum esset; de ceteris nihil dictum.

Personae sanctitas, quae ipsi voci *Rex* inest, non videtur necessario pertinere ad eos, qui ejus sunt sanguinis; hoc ostendunt leges eorum populorum, qui specialem eorum faciunt mentionem 1), hoc etiam ex eo ipso sequitur, quod

1) Cf. Scdm Org. anni 1304, art. 101, et const. Hisp. anni 1303, art. 103. Immo et regina ipsa delinquens legi poenali obnoxia esse potest; ne remotiora enim quaeramus exempla, nota est accusatio

munera, et civilia, et imprimis militaria, gerere possunt; si igitur sanctitate fruuntur, hoc ipsis legis verbis niti debet, et frustra ejusmodi dispositio in nostris legibus quaeritur.

Eos sanctitatis privilegio frui defendi nequit. Nulla vero persecutio institui potest, nisi adsit iudex, qui de ea cognoscat, et haec est difficultas, quod apud nos nullus adest.

Duplicem enim habemus quaestionem :

1°. An Senatus supremus ejusmodi causae sit competens iudex.

2°. An, hoc si negandum, ad ordinarium tribunal causa possit deferri.

Quod ad priorem attinet quaestionem, tenendum jurisdictionem illam S. S. competentem prorsus esse extraordinariam, legemque, quae eam praescribat, exceptionem constituere. Regula generalis est crimina ad curias, delicta ad tribunalia, leviores transgressus ad iudicium cantonale pertinere; exceptionem patitur in art. 65 no. 3, art. 92 et 93 R. J. Art. igitur 92 R. J. exceptionem introducens strictissimae est interpretationis, unde eos, qui non nominatim ibi enumerantur, nullo modo per analogiam ante S. S. vocari posse sequitur.

Quod ad posteriorem attinet quaestionem, animadvertendum utramque causam, quae ad extraordinariam jurisdictionem instituendam duxisse videtur, eandem, inmo multo majorem, vim habere in eos, qui ad stirpem regiam pertinent. Soli in tota nostra societate talem habent statum, ut fortasse privilegia quaedam haereditaria sibi jure vindicent, et prae-

---

contra Angliae reginam anno 1820 prolata. Cf. Trial of Queen Caroline for adulterous intercourse with Bartolomo Bergami, London 1820, et Brougham Sketch of George IV.

cipuum inter ejusmodi privilegia illustriorem agnoscere judicem non haberent?

Sit tamen concessum ordinarium tribunal jure ejusmodi causam sibi vindicare posse, quis erit modus procedendi, qui sequendus? omnia enim modo ordinario peragenda esse non facile quis defendet.

Variis enim modis, ne persecutio poenalis temere contra magistratus nonnullos instituat, provisum 1), et hoc non ad hos multo illustriores pertineret? an credi potest lex, quae securitatis officialium stirpis regiae rationem habuerit, ipsam stirpem neglexisse? an lex, quae eorum honori providet, si tanquam testes 2) ad justitiam administrandam sunt necessarii, non etiam actionis contra eos ipsos institutae rationem habere debuisset.

Hac de re igitur saltem dubitari posse nemo negabit. Quidquid sit; semper hoc loco in lege est hiatus; si sanctitatis privilegio gaudent, lex hac de re statuatur; si S. S. forum sequuntur, mentio eorum fiat in art. 92 R. J.; si tandem ad ordinaria dimittendi sunt judicia, opus est lege modum procedendi contra eos definiente.

Art. 38 L. J. tutelam Regis deferri jubet quibusdam stirpis regiae participibus, hisque adjungi indigenas nonnullos honore conspicuos. Hi sine dubio digni, qui in catalogo art. 92 locum obtineant.

Nulla mentio hoc loco facta eorum, qui curiae nobilitatis sunt adscripti (*Leden van den hoogen raad van adel*). Videntur tamen eum tenere locum, ut in art. 92 enumerari debuissent. Summo enim munere funguntur, nullos superio-

1) Cf. Cod. Qu. Crim. art. 315, et totum tit. XIV.

2) Cf. Cod. Qu. Crim. art. 311 sqq.

res agnoscunt, de statu civili nobilium soli sunt iudices 1).

Incertitudo oriri potest de regio status-graphiario, qui ante annum 1840 nomine Regis omnibus decretis et legibus nomen suum subscribebat, eaque in diaria publica, prout opus erat, inseri, et ubique transmitti curabat, quod munus hodie ad Regis cancellatui praepositum (*directeur van het kabinet*) translatum, unde et de ipso hoc praeposito agendum.

Tenendum status-secretarium opinione publica semper administris assimilatum esse, inde inter eos, qui *hoofden van departementen van algemeen bestuur* dicuntur, eum fuisse comprehensum probabile fit, et ideo specialem ejus mentionem non esse factam. Defendi igitur potest status-graphiarium illum S. S. jurisdictioni fuisse subjectum, sed hoc hodie de cancellatui praeposito dici posse non videtur; hic enim illustri loco caret, qui, ut de illo defendamus contrariam sententiam, efficit.

Videtur igitur cancellatui praepositus ordinariis judiciis submittendus, sed est quaestio, annon munus ejus tale sit, ut jure extraordinariae jurisdictioni submitteretur.

Subscribendo enim leges eas cum iis, quibus ordines generales consenserint, quae concilio status proposita, et quae hoc concilium deliberaverit, convenire, et leges et decreta regia, quae in diaria publica inserantur, authentica esse, haec omnia nomen suum apponendo affirmat, et hoc satis magni esse momenti, ut, cui sit commissum, inter praecipuos officiales referatur, negandum non videtur 2).

1) Cf. Hamelsveld, *Nederlandsche Pandecten* I, p. 190.

2) Decreta, quae in diario inseruntur, a Rege ipso et secundum art. 76 L. J. ab administro subscribuntur; praeterea a praeposito apponuntur et subsignantur verba *uitgegeven den...*; leges contra non ab

Praeter partibus regiminis generalis praepositos, qui proprie administri dicuntur, plures sunt, praeviis fere semper honoribus insignes, qui eodem titulo gaudent (*ministers van staat*). Hi tamen ad ordinaria tribunalia dimittendi videntur, nam in art. 92 R. J. nulla eorum fit mentio, nisi forte comprehendantur inter eos, qui *hoofden van departementen etc.* dicantur, quod tamen quis non facile defendet. Praeterea, quomodo legis verba *gedurende den tijd hunner functien* dici possunt de iis, qui nullum gerunt munus 1)?

Ad ordinibus adscriptos etiam pertinent, qui ex art. 23, 25 et aliis L. J. concilii inferioris sunt socii.

Animadvertendum inter partibus regiminis generalis praepositos intelligendos etiam esse, qui ad interim hoc munere funguntur, nam L. J. hanc distinctionem non facit, et secundum art. 77 eodem modo, quo ordinarii, S. S. submittantur, quamobrem, quum communia delicta idem habeant forum, etiam ad extraordinariam pertinere videntur jurisdictionem.

Quinam dici possint *Hoofden van departementen van algemeen bestuur*, quotidie mutari potest; partium enim illarum neque numerus, neque nomina, L. J. sunt definita 2), sed vi art. 74 hoc a Rege constituitur. Prout igitur tempora pos-

administro sed a praeposito nomine Regis subscribuntur, et eodem modo additur *uitgegeven*. . . . .

Haec prior subscriptio praepositi videtur legem insertam revera esse legem i. e. revera esse facta, quae in formula promulgationis dicuntur, affirmare, posterior contra solummodo necessaria est, ut insertio certam habeat diem, unde deduci possit, quo tempore inserta vim habitura sint. Cf. Sent. Trib. Amst. in causa Cleban. W.B. van het Regt no. 506, *Overweegende, dat de medeonderteekening der Wetten en besluiten etc.*

1) Quaestio vero mutatur ejusmodi status-administro vi art. 2 decr. reg. d. 31 m. Mart. anni 1842, in administratorum concilium vocato.

2) Cf. v. Cl. Thorbecke, *Aanteekeningen ad art. 74*, (ed. sec.)

cunt, quae hodie separata propriam habet administrationem, cras alii parti subjungi potest, unde incertitudo oritur de vi verborum *departementen van algemeen bestuur*. Hac in re auxilium nobis ferre potest art. 93 L. J. sed majoris momenti est art. 125 1); si enim impensae alicujus partis regiminis propria lege definiuntur, ille, qui ei parti praeest, pertinere videtur ad eos, qui in art. 175 S. S. submittuntur. Qui igitur v. c. rebus venaticis praeest (*opperhouterster*), huc non pertinet, et quae de Regis cancellatui praeposito supra diximus, hoc modo confirmantur.

Quid dicendum de status-secretario, qui loco Regis concilio status praeest?

Stricte si verba legis accipimus, fatendum eum proprie non socium concilii esse, nam praeter eum duodecim esse possunt, igitur ipso annumerato tredecim erunt, quod contra L. J. pugnat.

Usus loquendi quidem hunc praesidem ad administratos refert, unde fortasse eum pertinere ad eos, qui in art. 74 sqq. partibus ministerialibus praeesse dicuntur, et in art. 175 *Hoofden van departementen van algemeen bestuur* nominantur, quis crederet, sed ipsa L. J. concilium status et partes ministeriales distinguens, hunc usum loquendi non esse legitimum apte docet.

Inde sequitur eum, qui loco Regis concilio status praeest, proprie non pertinere ad eos, qui in art. 92 R. J. enumerantur, et tamen omnia in eo adsunt, quae alios extraordinariae jurisdictioni subjiciunt; vis enim, quam in judicem

1) Art. 125. *De uitgaven voor ieder departement van algemeen bestuur maken een afzonderlijk hoofdstuk der algemeene begrooing uit.*

*Elk dezer hoofdstukken wordt bij eene afzonderlijke wet voorgedragen en vastgesteld.*

exercere potest, non est minor ea, quam conciliarii ipsi adhibere possunt; munus, quod gerit, multo est honorabilius, Regis immo tenet locum; quomodo tandem ferendum esset socios collegii honorabiliori, praesidem contra inferiori submissum esse judici? Si igitur non verbis, sane menti legis consentaneum hunc officialem referri inter eos, qui S. S. submissi sunt jurisdictioni, et dicendum eum non nominatim enumeratum esse, quia ad administratos pertinere crederetur, quem errorem confirmavit fortasse institutum, quo hic praeses etiam administratorum concilio praeerat 1).

An locutio *Leden van den Raad van Staten* etiam comprehendit extraordinarios conciliarios vi art. 73 L. J. a Rege nominatos?

Animadvertendum art. 175 L. J. uti locutione *Leden van den Raad van Staten*; eadem legitur in art. 70 et 73 al. 3 eod., ubi de ordinariis solummodo sermo est; contra in art. 73 usus est legislator voce *Staatsraad*, quae in art. 78 et de ordinariis et de extraordinariis usurpatur; inde patet locutionem *Leden van den Raad van Staten* de solis ordinariis conciliariis adhibitam, et revera haud scio, an extraordinarii apte *socii* hujus collegii dici possint; praeterea, quid significant de extraordinariis verba *gedurende den tijd hunner functien* 2)?

Haec omnia verum mutantur, extraordinario socio in concilium a Rege vocato. Hic enim *socius* fit, et omnino S. S. forum sequitur inde a tempore, quo jusjurandum, de quo loquitur art. 78 L. J., juraverit.

1) Cf. Dec. reg. d. 19 m. Sept. an. 1823.

2) Cf. De Pinto, *Handleiding tot de Wet op de Regt. Org. H. C. 1844*, ad h. 1. et *Wetb. op de regtenlijke instellingen en rechtspleging in het Koninkrijk Holland*, art. 126 ibi cit.



Regis commissarii instituuntur vi art. 135 L. J., ex quo art. patet nihil ad rem facere, quemnam gerant titulum; dicendum igitur, quicumque ordinum provincialium concilio aut ordinibus delegatis (*gedeputeerde staten*) praesit, et mandatum, de quo loquitur art. 135, explere debeat, hoc loco designatum esse.

Regis magno-officiales in art. 92 R. J. enumerantur 1). Vox *officieren* hanc dispositionem ad mulieres in aula Regis eundem gradum tenentes extendi vetat; unusquisque tamen historiae non prorsus ignarus, quantam vim tales matronae in res politicas exercuerint, bene scit.

Quinam vero inter magno-officialium numerum referendi? Quum in diem a solo Rege nominari et destitui possint, certa hujus rei norma tradi nequit; sequatur iudex consuetudinem et usum loquendi, et teneatur eorum titulos fere semper praepositione *groot-, opper-* vel alia ejusmodi illustrari 2).

1) Quo jure vero hi hoc loco enumerantur? Art. 176 L. J. copiam dat legislatori S. S. subjiciendi *ambtenaren en leden van hooge collegien*, quorum neutrum ad magno-officiales pertinet, qui quasi tales nullum habent statum politicum. Locutio *Groot-officieren van het huis des Konings* etiam magnopere differt ab ea, quae alibi viget; ita in Scto. Org. anni 1804, legitur *Grands-officiers de la couronne* et in Cod. *Welb. op de regt. Inst.* etc. art. 126 cit. habemus *Groot-officieren van het rijk en van de Kroon*. Haec locutio his personis aliquem statum tribuit politicum, qui in nostra nullo modo adest. Cf. etiam decr. de abdicatione Regis Ludovici Napoleontis ubi distinguuntur Officiales *Coronae et Domus Regiae* (*Civiele en Militaire officieren van ons Huis*) in collect. a. V. Amp. v. d. Poll ed. p. 479.

2) In publicatione (*Bijvoegsel tot het St. B. 1834*, no. 166.) a rebus fisci praeposito promulgata anno 1834 ad magno-officialium numerum referrebantur *Opperhofmaarschalk, Opperkamerheer, Opperintendant van 's Konings Paleizen, Hofmaarschalk, Grootmeester van het Huis van H. M. de Konigin et Opperschenker*. Hac de re etiam conferri potest *Verbaal*

Ad legatos videntur referendi esse omnes, qui apud exteros exterritorialitatis jure fruuntur; supra enim ostendere conati sumus, legatos ideo S. S. judicem agnoscere, quod apud exteros Regis teneant locum; ideo exterritorialitatis jure fruuntur, ideo ita honore insignes videntur, ut nulli alii judicio subjiciendi sint; inde sequitur omnes jure gentium in honorem principes sui immunitate fruentes in art. 92 significari loquendi formula *ambassadeurs en andere gezanten bij buitenlandsche mogendheden*.

Alineas de Senatu supremo et de curiis provincialibus conferentibus, haec nobis obvenit differentia, quod illic eorum, qui loco sunt graphiarii (*substituut-griffiers*), mentio est facta, qui hic silentio praeteriti sunt, unde intelligere possumus eos ordinariis relinquendos esse judiciis 1). Haec differentia vero profluere videtur ex discrimine, quod supra jam animadvertimus. Curiarum enim socii Senatum supremum judicem agnoscunt, quia est collegium superius proximum; qui contra in Senatu ipso sedent, ejus forum sequuntur, quia supremum in hierarchia politica locum obtinent, quo casu omnes, qui ad hoc collegium pertinent, ratione domestica 2) eundem agnoscunt judicem, ut hoc de ordinum et concilii status graphiarii constitutum 3).

Haec quodammodo differentiam inter has personas in lege

---

*der vergadering van aanzientijken* p. 30, ubi *Groot-officieren van het hof* nominantur.

1) Cf. de Bosch Kemper, *Het Wetboek van Strafvordering ontwikkeld*, vol. III, p. 213, et Voorduin, *Geschiedenis etc. W. B. v. Strafv.* art. 257.

2) Cf. *Memorie van toelichting* specimini legis de R. J. anno 1835 prolato adjuncta.

3) De Tribunalis criminalis graphiario cf. de Bosch Kemper l. l. Annon tamen eodem jure, quo qui camerae rationum est ab actis, et judiciorum graphiarii enumerantur, h. l. in censum veniunt administratorum secretarii (*secretarissen generaal*)?

factam explicabunt; cur vero, qui hoc munere apud curias funguntur, eximantur, non video; non enim potest esse ratio, quod proprium munus non habent, sed locum tenent graphiariorum, cum idem obtineat de advocatis generalibus, qui tamem sub locutione *ambtenaren van het openbaar ministerie* comprehendi videntur 1).

Art. 336 Cod. Qu. Crim. S. S. jurisdictionem extendit ad omnes, qui delinquentis socii fuerunt. Hujus legis ratio quum sit, ne continentia causae dividatur, non modo de iis, qui proprie socii dicuntur, hoc intelligendum, sed etiam hujus art. applicationi locus est, si personae in art. 92 R. J. enumeratae proprie socii sunt 2). Tenendum etiam vocem *medepligtigen* h. l. latiore habere significationem, ita ut omnia delicta, quae ex art. 130 Cod. Qu. Crim. idem sequantur forum, ad S. S. pertineant, si modo unius eorum particeps fuit quis ex personis, quae primo loco eum judicem agnoscunt.

Difficultatem facit art. 135 Cod. Qu. Crim. al. 2 i. f. Si enim hujus art. ratio in eo est posita, quod delicti proprie ita dicti qui fuerunt socii, ex eo, quod auctor principalis crimen perpetravit, non debent alium judicem accipere, ne provocationis privilegium amittant, tenendum hanc rationem nullam vim habere, si et delicti et criminis cognitio ex auctoris persona ad idem pertinet collegium; nam

1) Ejusdem generis differentiam introducit decretum de modo, quo jusjurandum praestandum est. Cf. h. dec. art. 1, al. 4, 5, 6, et etiam art. 10 R. J.

2) Cf. de Bosch Kemper, Op. laud. III, p. 236. Quod attinet ad solos administratos, quaestionem de delinquendi sociis dijudicat Mohl I. I. p. 121 sqq., eosque utilitatis causa extraordinario judicio submitteudos esse censet.

in hac hypothesisi utraque causa coram eodem iudicio est pertractanda.

Si art. hujus 135 verba ita stricte sunt intelligenda, ut Curia Provincialis crimen quidem et delictum, non vero crimen et leviolem transgressum, etiamsi nulli sint socii, ab eodem accusato commissum conjungere possit 1), tamen de S. S. aliud videtur dicendum. Ratio enim, ob quam haec conjunctio non potest fieri, quia, iudiciorum competentia ut mutetur, distincta lege opus est, et hoc per analogiam non bene fieri potest, hoc loco nullam habet vim, nam idem iudex de transgressu cognoscet, sive una cum crimine, sive separata causa tractatur.

Quum jam de personis, qui S. S. forum sequuntur, actum sit, nunc videndum de delictis, quae ejus jurisdictioni subjiciuntur.

*Alle misdrijven* dicit L. J. art. 175, nulla igitur distinctione hac in re inter delicta ordinaria et in munere gerendo commissa facta. Vox *misdrijf* h. l. significationem habet latissimam, ita ut omnia facta, contra quae lex poenalis poenam aliquam constituit, comprehendat; id enim patet ex mutatione in illa lege corrigenda facta; quum enim anno 1827 2) vox *misdrijf* ita esset intellecta, ut solummodo crimina proprie ita dicta comprehenderet, anno 1835 hoc ita mutatum, ut omnia quaecunque delicta sub voce *misdrijf* intelligenda sint, exceptione solummodo facta, quod attinet ad hos leviores transgressus, contra quos nulla carceris poena est constituta, quia hae causae, licet fortasse ex L. J. verbis etiam ad S. S. traducendae sint, tamen

1) Cf. de Bosch Kemper, Op. l. ad art. 135.

2) Cf. l. d. 16 m. Apr. a. 1827, St. B. no. 20, art. 94.

tam parvi sunt momenti, ut et auctoris commodum et huius collegii dignitas ejus jurisdictionem ad eas non extendi requirant 1), quod etiam L. J. menti consentaneum esse negari non potest.

In art. 92 R. J. vox *overtreding* habet significationem technicam, ita ut ea sola delicta comprehendat, quae vi art. 44 R. J. ad iudices cantonales deferenda sunt.

Oritur h. l. quaestio, quomodo agendum sit, si quis ex personis art. 92 enumeratis iterum talem transgressum committat, ut locus fiat art. 474, 478, 481, j. a. 483, Cod. poen. 2).

Non magnopere metuendum, ne unquam huic difficultati locus sit, sed, ut decisionis adsit norma, teneatur similitudo, quae adest inter hanc quaestionem et alteram illam notissimam, cui locum dedit art. 56 Cod. poen. Ex verbis enim istius art. *condanné pour crime* orta quaestio, utrum ii, qui v. c. homicidium voluntarium commiserint, sed propter aetatem ex art. 67 puniti sint poena infamiam non secum trahente, in casu repetiti criminis seiviori poena sint afficiendi, an contra poena ordinaria nulla anterioris condemnationis ratione habita. Prior sententia, quae plerumque vicit, si sequenda, factum per se solum inspicitur, iis, quae extrinsecus illuc perveniunt, nullo momento relicto; si contra posteriorem amplectimur, omnia, factum, auctor et alia, quae ibi pertinent, consideranda.

Idem dicendum de nostra quaestione; si facti solius ratio sit habenda, res ad Judicem cantonalem pertinet; si contra

1) Cf. v. d. Honert, *Handboek voor burgerlijke regtsvordering*, p. 100.

2) Animadvertendum enim in his causis propter repetitum transgressum poenam carceris imponi posse, sed eam non proprie contra transgressum esse constitutam.

omnia, quae aliunde eam tangunt, observanda sunt, S. S. videtur esse cognitionis.

Quid vero dicendum de art. 42 al., 180, 227 no. 3 et 253 no. 3 Cod. Qu. Crim.? Quaeri enim potest, quomodo agendum sit, si testis invitus est unus ex iis, qui in art. 92 enumerantur; utrum in hac hypothese ordinaria tribunalia aut curiae provinciales poenam carceris imponere possint, an res ad S. S. dimittenda. Persecutio ad superius tribunal delata majoris fit difficultatis, longiori eget tempore et majoribus sumptibus, et hoc in causis, in quibus cunctatio omnino est evitanda, quam maximi est momenti; contra lex, quae omnia delicta ad S. S. transmittit, ita distincte loquitur, ut non facile exceptio utilitatis causa admitti possit.

Difficultatem etiam facere videntur causae, de quibus agitur in tit. XII Cod. Qu. Crim.; antiqua enim consuetudo permultis legibus servata: *injuriam notoriam sibi illatam in officio officinando judicem punire posse, sine processu, informatione, aut sententia in scriptis* 1). Hoc principium etiam in nostris legibus esse servatum ostendunt art. 305-310 Cod. Qu. Crim. et 24-28 cod. de modo procedendi in civilibus; ibi enim judiciis delatam esse facultatem nonnulla delicta in judicio ipso commissa modo supra memorato puniendi videmus, sed nunc quaestio oritur, quomodo agendum sit, si delinquens pertinet ad eos, quorum in art. 92 mentio fit.

Nullam poenam his personis imponi nisi a S. S. jubet lex, et hoc etiam de hisce causis defendi potest, quamvis necessitudo, delictum inter et tribunal quae exstat, eodem

1) Cf. Bort, *Tractat van Crimineele Saecten*, Tit. I, no. 24; et de Bosch Kemper, *Op. I. III*, p. 199. Videatur etiam l. unica ff. si quis jus dicenti non obtemperaverit.

modo, quo supra de invito teste dubitavimus, ut non magis in hac quaestione sententiam emittere audeamus, efficit 1).

Ut S. S. jurisdictionem accurate definiamus, paucis verbis agendum de ratione, quae est inter art. 175 L. J. et art. 185 et 186 eod.

Quod ad art. 186 attinet, nullum videtur dubium esse jurisdictionem militarem postponendam esse ei, quam vi art. 175 exercet S. S., unde ordinibus adscriptus aut parti regiminis generalis praepositus, quamvis simul munus aliquod militare teneat, S. S. forum sequitur. Tenendum enim neque in art. 175, neque in art. 186 ullam fieri distinctionem delictorum, ita ut auctoris persona omnia ad idem trahat iudicium. Debent igitur delicta et communia et militaria a milite, ordinibus v. c. adscripto, commissa ad S. S. deferri aut etiam delicta ab eo, ordinibus adscripto, perpetrata curiae militaris esse cognitionis. Quomodo tamen quis hoc feret? quid, si hoc defenditur, juris erit de ordinum consensu impetrando.

Contrariam vero tuemur sententiam de jurisdictione de delictis vectigalia spectantibus. Art. enim 185 non minus generalis quidem est, quam art. 175, et alterum igitur alterum tollere bene defendi potest, quamobrem rationes aliunde petendae, ut dijudicemus, quis sit potior. S. S. vero de ejusmodi delicto judicans judicare debet secundum art. 92 R. J.; transgressus igitur contra quos nulla

1) Ejusdem generis difficultati ansam praebet art. 354, Cod. d. m. pr. i. c. sic audiens. *De overtredingen van ambtenaren van den burgerlijken stand, notarissen en andere ambtenaren, waarvan, volgens de wet, de burgerlijke regter kennis neemt, zullen, zoowel in eersten aanleg als in hooger beroep, op dezelfde wijze als correctioneële zaken worden vervolgd en beregt. An in hisce causis judex poenam imponit? Praeterea huc pertinent actiones ab iis, qui administrationi cuidam praesunt, instituendae.*

carceris poena comminata, ordinariis tribunalibus relinquere deberet, unde distinctionis art. 1 C. P. applicatio facienda esset ad delictorum genus, quod hanc distinctionem non patitur.

Altera ratio in eo est posita, quod art. 185 semper ea vis est tributa, ut jurisdictionem militarem superaret 1).

Jam enumeratis personis extraordinariae jurisdictioni subjectis, et dijudicatis, quae ex delictorum natura oriuntur, quaestionibus, ut totum ejus ambitum rite pertractemus, de potestate judicatrice, quae S. S. competit, agendum.

Supra enim docuimus saepe factum apud alios populos, ut iudicium extraordinaria jurisdictione fungens potestatem suam aliis limitibus, sive angustioribus, sive latioribus, circumscriptam videret, quam cetera tribunalia; tale quid apud nos vero non adest.

Vidimus enim nonnumquam iudicio concessam esse facultatem plenissimam, nullam legem sequenti, delicti definiendi aut poenae constituendae, immo nonnumquam ambo esse conjuncta; exempla attulimus legum non certam quidem poenam constituentium, sed tamen iudicum potestatem, quod ad eam attinet, arcte definiendum; ostendimus etiam adesse institutum, quo accusatus a iudicio extraordinario aut, ut h. l. bene dici potest, politico jam condemnatus, alii ordinario tradatur tribunali, ita ut alterum delictum politicum, alterum ordinarium puniret, sed omnium horum institutorum apud nos nullum vestigium; iisdem legibus regitur S. S. quibus cetera tribunalia, art. 4 Cod. Poen. etiam servare debet, neque regula *non bis in idem* apud nos violata.

1) Cf. art. 13 *Crim. Wetb. voor het krijgsvolk te lande et etiam Ontwerp voor het crimineel Wetb. voor het krijgsvolk van het Koninkrijk Holland*, anno 1842 editum a V. Cl. G. W. Vreede, art. 4.



§ 3. De iudicio extraordinario. *De iudicii extraordinarii constitutione.*

Judicium, cui haec provincia est demandata, est, ut omnes sciunt, iudicium ordinarium supremum; socii ejus a Rege quidem nominantur, attamen in id constituendum populus per delegatos non admodum exiguam habet vim 1); annon etiam ipsi ordines iudicii partem constituere dici possunt in causis, ubi eorum consensus requiritur?

Jus accusandi eodem modo ordinario magistratui concessum, et ne in materia politica quidem ordinibus 2), quorum tamen consensus nonnumquam rogandus. Modus inquirendi maxima pro parte est similis ei, quo in causis ordinariis utimur 3), et quae, aut quia in causis quotidianis numquam obveniunt 4), aut ob indolem 5), quae his est propria, alio modo ordinari debebant, invenienda sunt in Cod. Qu. Crim. tit. XIV, qui tamen tit. nonnullis animadversionibus locum dat.

Statim animadvertitur art. 315 Cod. Qu. Crim. in omnibus causis, quae S. S. sunt cognitionis, inquisitionem praeiviam fieri jubens, cujus legis ratio est evidens. Si enim, ii, qui primis gaudent in civitate honoribus, etiam ut honorabili nomine gaudeant, necesse est, omnia, quae id diminuere possunt, eo maiore cura sunt evitanda, quo majus damnum afferrent, et, ne sine causa quis accusetur, quam maximae utilitatis esse potest inquisitio ejusmodi praeiviam (6).

1) Cf. art. 174 L. F.

2) Cf. art. 316 et 318 Cod. Qu. Crim.

3) Cf. art. 316, 317, 331, 332, 333 et 334 eod.

4) Cf. art. 318—324 eod.

5) Cf. art. 315 eod.

6) Vid. de Bosch Kemper op. laud. ad art. 80.

Sed praeter hanc inquisitionem, quae et specialis dicitur, alia est, non ex lege sed e rerum natura originem ducens, non specialis sed generalis, et, a quo haec sit perficienda, rogatur.

Haec quaestio minorem aut potius nullam habet vim, si sermo est de ordinariis delictis; quamdiu enim nihil de delinquentis persona notum, omnia ordinario modo peraguntur, quemadmodum in tit. II nostri cod. ordinatum, et inquisitio traditur superiori collegio, simulac specialis fit, at aliud dicendum de delictis in munere gerendo commissis. Differentia enim haec adest, ut in illo fere semper de corpore delicti constet, de auctore sit incertitudo, cum in his contrarium obtinet. An tamen ideo ob praesumptiones levisimas, v. c. ob rumores publicos, statim rogandum est decretum iudicis, ita ut simul iudex ad inquisitionem specialem praepatoriam perficiendam committatur? Hic agendi modus fortasse verbis legis conveniret, an tamen menti eius esset consentaneus? an semper eum sequi posset Ministerium Publicum? contra hanc difficultatem nullum superesse videtur remedium, nisi quod affert Vir. Amp. de Bosch Kemper ad hunc art. 316, i. e. Ministerium Publicum, ut iudex ad hoc committatur, rogare debet 1).

1) Fortasse tamen per analogiam nobis auxilium ferre potest art. 80 al., ita ut, qui S. S. praest, vi muneris sui inquisitionem generalem praepatoriam instituat; at tenendum ibi nullum sermonem esse de inquisitione generali, ut ex art. praecedenti evidentius patet, quamquam, hoc si ita est, art. 80 et 258 conciliari non possunt. Hoc remedium, si per legem liceret, ideo praefendum esset alteri in textu allato, quia adesset, qui secundum art. 77 in carcerem excipi accusatum jubere posset.

Art. 316 quoque, quemadmodum anno 1828 ordinibus propositus fuit, S. S. praesidi iudicis commissi munera mandabat, concessa ei facultate Senatorem ad hoc nominandi; idem fere specimina anni 1829 continebant; quod postea mutatum, ne praeses hoc modo ab ipso iudicio se semper abstineret.

Haec inquisitio fieri debet eodem modo, quo in causis ordinariis fit; iudex igitur hac in re etiam tit. II et III Cod. Qu. Crim. sequi debet, at sunt nonnulla, quae latiori egent disputatione.

Primo loco statim incertitudo, quomodo agendum cum testibus, qui in praevia inquisitione testimonia dent, necesse est, in remotiori patriae regione habitantibus; an art. 72 et 73 Cod. Qu. Crim. adhibere liceret?

Ratio dubitandi est duplex. In causis ordinariis enim inter tribunal, penes quod res peragitur, et delictum aut auctorem aliqua adest locorum connexitas; hi igitur, qui testimonium dicere debent, fere semper in iisdem locis aderunt; regula itaque est: testes audit iudex commissus a tribunali de causa cognoscente et art. 72 et 73 solummodo exceptioni locum dant. Contrarium verum saepe obtinebit in causa coram S. S. peragenda, nam testes omnes facile in remotis provinciis habitare possunt, ita ut exceptio regulae locum capiat.

Altera dubitandi ratio in eo est posita, quod causa ad S. S. defertur ob majorem prudentiam et accuratiorem juris notitiam, quas in hoc collegio jure quis quaeret, et eadem qualitates adhiberi debent in praevia inquisitione, quae tamen in iudice inferiori fortasse non eodem gradu aderunt.

Aninadvertendum contra impensas revera horribiles fieri debere, si omnibus testibus fortasse ex remotissimis patriae regionibus iter Hagam-Comitis est faciendum, et iudicem commissum magnam vim exercere, si modo bene et distincte exponit quaestiones 1), quae ut fiant, necessarium

1) Cf. art. 73 cit. al. i. f.

ducit, et praeterea eum semper uti posse facultate, quam concedunt art. 74 et 75 Cod. Qu. Crim. 1).

Supra jam mentionem fecimus art. 77. Si modo adest iudex commissus, nullum videtur dubium, quin hac facultate uti possit in causis ordinariis, sed non ita facile res dimittitur, si sermo est de ejusmodi delicto, ut necessarius sit ordinum consensus. An 2) in hoc casu iudex commissus aut omnino S. S. ipse, requirente Ministerio Publico, decretum apprehensionis emittere potest?

Si de jure nostro ex Cod. Qu. Crim. quaeritur, non magna est difficultas; ordinum enim acta satis aperte ostendunt, quaenam fuerit legislatoris voluntas, immo si ne in flagranti delicto quidem haec facultas est concessa, quomodo ea frui potest iudicium in casu multo minoris momenti. Ratio tamen movens, i. e. verba L. J. art. 175 *worden zij nimmer in regten betrokken*, mihi non optima esse videtur 3).

Rationes vero, quae talem praeiviam apprehensionem prohibent, non adsunt in art. 93 quam arctissime cum art. 77 conjuncto, quod animadvertisse sufficiat.

His exceptis, inquisitio praevia coram S. S. perficienda nullis propriis locum dat difficultatibus, et idem dicendum de ea, quae fit in casu flagrantis delicti, de qua agit art. 317, ubi tamen, ut jam diximus, observandum eam fieri non posse, quando ordinum consensus requiritur 4).

1) Quomodo etiam fieret inquisitio illa in, v. c. legatum apud externos, delinquentem aut colonii praefectum.

2) Cf. de hac quaestione de Bosch Kemper ad art. 325, qui eam etiam negandam esse censet.

3) Cf. de Bosch Kemper l. l., et Voorduyn, *Geschiedenis* etc. ad hunc locum p. 339—392. Vid. etiam litterae elucidationis causa (*memorian toelichting*) specimini anni 1836 adjunctae et responsa ad animadversiones sectionum ejusdem anni.

4) Vellem tamen exemplum flagrantis delicti in munere gerendo commissi.

In art. 318-325 Cod. Qu. Crim. agitur de ordinum consensu, quomodo rogandus, quomodo concedendus sit; nonnulla praemittamus de vi, quae ei tribuenda est.

Hunc consensum plane tuendi gratia esse institutum unusquisque videt. Estne, ne summis honoribus conspicui ob nimiam fortasse L. J. observantiam odiosi persecutione poenali gravarentur? Imprimis quod attinet ad ordines ipsos, quam maximi est momenti eos non quotidie jubentibus, qui rebus publicis praesunt, a Ministerio Publico in jus vocari posse; efficaciter tamen ut huic rei provisum esset, hoc privilegio etiam in delictis ordinariis frui deberent 1), sed haec causa non eodem gradu adest in administris, provinciarum praesidibus et status-conciliariis, qui si Regi displicent, amoveri possunt 2). An fortasse igitur alia esset ratio, ob quam hic consensus requireretur?

Supra inter causas, quae ad summum extraordinarium iudicium instituendum permoverant, quaestionum, quae ei deferuntur, gravitatem retulimus; summi est momenti, eos, qui aliquo munere publico funguntur, non quotidie persecutione poenali gravari posse, imprimis si haec fieret ob delictum in munere gerendo commissum; hoc modo etiam oriuntur quaestiones de variorum institutorum ambitu, et totius societa-

1) Ejusmodi privilegium concessum in Charta Franc. anni 1314 art. 34 et 52, quin etiam in civilibus, art. 51, et Napoleontica lege anni 1815 art. 14 et 15. Huc etiam pertinet const. Bat. anni 1798 art. 74—82. Cf. Thorbecke, *Aanteekening* V. II, p. 173. Etiam in Anglia parlamenti socii hoc privilegio gaudent, cujus rei primum exemplum videtur fuisse John Ferrers anno 1543. Cf. Hallam, *op. laud.* I. p. 196, et primum in lege sancitum est hoc privilegium anno 1604, eod. p. 222.

2) Cf. v. Hogendorp, *Bijdragen* VIII, p. 343. Quod ibi dubitanter de de status-conciliariis dicit vir Ampl., hodie consuetudine est firmatum; vid. etiam oratio in ordinum conventu habita a Viro Amp. Op den Hoof, quae legenda apud Voorduin, *Geschiedenis*, ad h. l.

tis status ratio est habenda; videndum non modo, an persecutio justa, sed etiam, an optanda sit; inde sunt, qui accusationem ob ejusmodi delictum variis difficultatibus circumdederint 1), et quamvis nostratibus non necessarium visum sit in omni hujus generis causa harum rerum rationem haberi, tamen, quod ad primarios attinet, huic rei accuratius providendum esse censuerunt, et inde mihi explicandus videtur ordinum ille consensus.

*Characterismus igitur hujus consensus plane est politicus; solummodo spectat jura politica et obligationes populum inter et summum Principem et societatis statum 2).*

Hisce praemissis, patet, quid ab ordinibus, consensu rogato, considerandum. Primo loco quaestionem sibi ponere debent, utrum factum in iudicium deductum revera constituerit legis laesionem, neque, et postea considerandum, num fortasse melius esset nullam actionem institui. Historia enim nobis affert multa exempla persecutionum politicarum, quae pessimas habuerunt sequelas; tempora esse possunt ea, ut leges plane exsequi summae esset stultitiae, et omnino earum laesio in reipublicae commodum nonnumquam requiri potest. Haec omnia a S. S. aut nullo modo aut nisi pro parte ponderari possunt, at optime eorum rationem habebunt ordines populi, qui ita per delegatos juris laesionem, si forte adest, comprobant.

Haec sunt, quae ab ordinibus consideranda videntur; quaestio autem facti, i. e. quaestio, an revera accusatus com-

1) Cf. Const. Franc. anni 1799 art. 75; cf. etiam hujus legis abrogationem ferens decr. reg. quod exstat in diario publico (*Staatsblad*) anni 1816 no. 11, ubi notanda verba: *Door en sedert de aanneming der Grondwet.*

2) Cf. hac de re, infra hujus capituli pars altera ad cod. poen. art. 115.

miserit factum, cujus accusatur, plane relinquenda videtur judici, et quia hac in re nulla est notio politica, et quia in hoc processus statu apte dijudicari nequit; quomodo enim ordines hanc rem rite tenerent, praevia inquisitione nondum instituta? 1).

Ex his etiam patet in rogatione procuratoris regii distincte definitum esse oportere, ad quamnam rem in iudicium deducendam consensus requiratur; nam hoc non modo ex verbis sequitur *met overlegging . . . . bescheiden* (art. 318) sed praeterea quomodo ordines judicare possent, utrum leges revera laesae fuerint, necne, hoc non bene descripto? quamquam animadvertendum in legis formula, quae in art. 323 legitur, solummodo de actione instituenda sermonem esse, et nullam facti ipsius fieri mentionem 2).

Sed non modo procurator factum debet definire, sed S. S. etiam an accusatio idem contineat quod petitio, inquirere debet, ne hoc modo totum consensus institutum dejiciatur; cavere etiam debet, ne ordines factis in consensus rogatione enumeratis alia addant, nam hoc modo sibi assumerent jus accusandi, quod ex jure nostro positivo iis plane denegandum.

Ordines, rogatione tali a procuratore regio accepta, triplici modo agere possunt; possunt enim vel consentire, vel

---

1) Apud ordines Francicos, quatenus ibi consensus requiritur, rem eodem modo esse ordinatam videri potest ex Chassan, *Traité des délits et contraventions de la parole, de l'écriture et de la presse*, vol. I, p. 61 qui tamen revera ordines quaestionem facti dijudicasse dicit in causa Cormenin; contrariam sententiam emittit V. Cl. Thorbecke, l. l. II, p. 181.

2) Hanc ob causam etiam formula illa, qualis initio erat concepta, continebat verba: *ter zake van het misdrijf van . . . . in de voordragt van den Procureur Generaal bij den H. R. breeder omschreven*. Vid. Voorduin, p. 398 et, ea mutata ut nunc legitur, sectio tertia addenda esse jussit: *ter zake van*. eod. p. 402.

prohibere, vel rem non ad se pertinere pronuntiare, et hoc postremum rursus duplicem ob causam, aut ob personam, aut ob factum. Si ob factum, res statim ad S. S. deferri potest, qui fortasse cum procuratore ejusdem erit opinionis, et se sententiam ferre non posse nisi consentientibus ordinibus iudicabit; quo casu rei nullo modo finis imponi, et reus neque condemnationem neque liberationem obtinere potest. Idem dicendum, si ordines rem ratione personae repudiant, quo casu ordinariis judiciis aliter sentientibus, aut S. S. causam sibi vindicante, idem obtinebit.

Quisnam contra erit status ordinum eorum consensum requiri existimantium, et S. S. hoc non necessarium ducente, et causam peragente, aut etiam ad ordinarium tribunal dimittente? aut ipsius S. S. eam ab ordinario iudice distrahentis et sibi vindicantis (v. c. vi art. 109 R. J.), ordinibus consensum non requiri opinantibus.

Haec sunt exempla dissensionis inter S. S. et ord. conventum, quae non modo, quominus res exitum habeat, impediunt, sed etiam aestumationem primis in civitate collegiis tribuendam quam maxime subvertunt. Dolendum omnino, quod nullum remedium adest, quod adhiberi possit, imprimis si cogitamus, quam facile ejusmodi dissensionibus locum dare possint verba *in het uitoeffenen hunner functien*.

Quaenam verum est horum verborum vis?

*Characterismus hujus consensus plane est politicus; spectat jura politica et obligationes populum inter et summum Principem.*

Haec verba 1) rursus hoc loco adducimus, cum inde

1) Objici quidem potest hanc legis fund. explicationem nihil esse nisi petitionem principii; supra fortasse probabile esse factum, talem vim consensui ordinum esse tribuendam, sed hoc nullo modo ex lege



intelligere liceat, quanam delicta lex fundamentalis significare voluerit, verbis utens: *in het uitoefenen hunner functien*. Annon enim, haec si est consensus illius vis, delicta, ad quae persequenda necessarius est, dici possunt ea, quae jura politica et obligationes populum inter et summum Principem spectant, i. e. quae his juribus laesionem afferunt, aut in non explendis his obligationibus constant 1)?

Art. 321 Cod. Qu. Crim. de rei translatione ab inferiori ad superius concilium agit, et animadvertendum in legis prima rogatione non modo omnium ad rem pertinentium actorum, prout nunc, sed etiam relationis a sectione centrali prolatae communicationem jussam fuisse, quae mutatio utrum probanda sit, necne, in utramque partem disputari potest.

Art. 325-336 Cod. Qu. Crim. rursus omnes causas spectant, quae S. S. submittuntur; nulla igitur in his art. explicandis ordinum consensus ratio est habenda.

ipsa effici, et inde nos eo uti non posse ad ipsa L. J. verba explicanda. Respondeo vero:

10. Talem vim consensui illi tribuendam esse in ipsa lege expressum esse nequit; immo infantiam artis legum scribendarum ostenderet, si ejusmodi principia theoretica totidem verbis in iis exponerentur (exemplo sunt hominis et civis jurium expositiones primis Francicis et Batavis constitutionibus praemissae); debent ea igitur per ratiocinationem deduci, saltem si nulla certiora adsunt testimonia, quod apud nos dicendum; cf. v. Hogendorp, l. l. p. 343: *Ik heb deze ophelderingen twijfelachtig voorgedragen, omdat ik mij nooit een even klaar denkbeeld van deze beschikking der Grondwet heb kunnen maken, als van hare andere beschikkingen.*

20. Quamquam hic explicandi modus fortasse defendi non potest, si sermo est de satis distinctis verbis, non video, cur non adhiberi possit in casu, qualis est noster, ubi verba legis ita sunt generalia, ut prorsus nihil dicant; cf. Vir Cl. Thorbecke, l. l. p. 133: *Misdrijven in het uitoefenen hunner functien, dat is eene niet zeer duidelijke uitdrukking.*

1) Cf. plura hac de re infra in parte secunda ad art. Cod. Poen. 115. Aliam tuetur sententiam V. Amp. de Bosch Kemper, qui in *het uitoefenen* etc. intelligit de delictis in Cod. Poen. *ambtsmisdrijven* dictis; l. l. p. 226.

S. S. judicans de procuratoris generalis rogatione, ut iudex committatur ad praevidiam inquisitionem specialem instituentiam, locum tenet tribunalis secundum art. 83 eod. convocati. Omnia igitur, quae in art. 84 85 et 86 de concilio deliberatorii (*raadkamer*) officiis dicuntur, ab eo peragi debent.

Inquisitione illa peracta, causa S. S. in concilio deliberatorio submittitur, qui tamen potius Curiae Provinciali secundum tit. IV Cod. Qu. Crim. convocatae assimilandus quam tribunalis, quale in art. 144 institutum; unde ea sequitur anomalia, huic extraordinariae jurisdictioni subjectum, proprie ita dicti criminis accusatum, uno inquisitionis gradu carere, quo ordinarius accusatus fruitur; eo enim, qui perfitur a tribunalis, inquisitione praevia peracta, secundum art. 120 Cod. Qu. Crim.

Privilegium, quo accusatus ex art. 327 fruitur, nulla materiae habita ratione, pro parte idem habet fundamentum, quod illud, de quo in art. 315 sermo est.

Jus accusandi soli procuratori generali competere animadvertisse sufficiat; ordinibus enim hoc nusquam concessum, quamquam non assentimur iis, qui ordines ne facultate quidem querelam immittendi gaudere censent. Ordines enim eodem modo quo alia collegia publica, ut res publica salva maneat, curare debent, nullamque inveni legem, quae eos hac obligatione liberet. Quod autem attinet ad objectionem eorum consensum in hoc casu ridiculum fore, tenendum, quomodo supra duplicem vim huic consensui inesse defendamus, et animadvertendum ipsis ordinibus nullam esse potestatem veri investigandi; id igitur alii magistratui esse demandandum. Praeterea quomodo bene jusjurandum observare possunt: *Ik zweer dat ik de Grondwet. . . . handha-*

ven. . . . . of toestemmen dat daarvan afgeweken worde, si, ne querelam immittant, prohibetur 1)?

Quomodo verum procurator generalis hoc jure uti debet? Non defuerunt in ordinibus, qui, ut omnis quaecunque querela eum cogeret ad actionem instituendam, vellent, sc. omnis quae talis esset, ut ordinum consensus desideraretur 2). Quomodo vero ejusmodi systema locum habere possit, non video; unde etiam vehementer improbatum a Justitiae administro. Quidquid sit, cum nihil ad hoc officium definiendum in legibus nostris sit dictum, quod ad has attinet causas, iisdem praeceptis regi M. P., quae in causis quotidianis observare debeat, dicendum, et ipsum dijudicare, utrum locus sit actioni instituendae (*wanneer daartoe termen zijn*, art. 30 Cod. Qu. Crim).

Ministerium igitur publicum etiam in his causis subjectus est art. 5 R. J.; quomodo verum totum institutum ita aliquam vim retineat, videant ii, qui contraria conciliare possint, et art. 12 R. J. cum art. 184 L. J. non pugnare contendant 3).

Una nobis superest quaestio, quam tractemus. Potestne P. G. a persecutione desistere consensu ordinum jam impetrato?

In ordinum conventu multi quidem fuerunt, qui M. P. ad actionem persequendam cogi consensu censerent, et spe-

1) Tenendum etiam iudicium quoddam jubere posse rem aliquam a M. P. investigari et sibi submitti; cf. art. 109 R. J. art. 31 et 32, Cod. Qu. Crim. Sitne iudicio ita causam sibi vindicanti aliqua cum ordinibus querelam immittentibus similitudo?

2) Ita intelligenda videntur, quae Ordinibus adscriptus Barthelemy in ordinum conventu d. 20 m. Mart. anni 1830 locutus. Cf. Voordain, l. 1. p. 337, 338.

3) Vid. infra ad art. 30. Cod. Poen.

cimen anni 1829 art. 4 hoc totidem verbis praescripsit. Lex vero, quemadmodum hodie viget, nihil hac de re loquitur; quanam vis mutationi illi, qua haec obligatio silentio est praetermissa, tribuenda? Ministerium Publicum iisdem regi praeceptis in his causis, supra defendimus, et hoc si verum, ab actione desistere potest, donec iudicii cognitioni rem submiserit, quod in nostra positione nondum factum. Tandem animadvertendum ordinum consensum, si quaestio nostra neganda, habiturum esse effectum ejus origini plane contrarium; tuendi enim gratia institutus eo duceret, ut quis accusaretur, qui sine eo nulla persecutione gravatus esset.

Quae tamen, quaestione nostra affirmata, erunt ordinum partes? An credi potest lex voluisse, ut tam absurda eorum fieri posset positio? annon in hac hypothesis plane M. P. subjecti essent?

Hoc loco disputationi nostrae de jurisdictione extraordinaria, quod ad instituta judiciaria attinet, finem imponere possumus. Ejus originem et ambitum descripsimus, et quae de inquirendi modo in legibus nostris statuta, explicare conati sumus. Liceat tamen adhuc paucis verbis de ea agere, primaria hujus rei vitia significemus, et, si licet, remedia afferamus.

Gravibus omnino laborat haec legum nostrarum pars vitis, et nullo modo finem suum assecutus esse dici potest legislator. Quid enim sibi proposuit? an jura populi aut principis ex L. J. profluentia peculiari sanctione circumdare voluit? sed talem constituit procedendi modum, ut principium actionem poenalem institui posse, non facile effectum sit habiturum; an contra ita difficilem reddidit inquisitionem poenalem, ut reorum securitati provideret? sed etiam in hac hypothesis multum abest, ut consilium suum assecutus

sit legislator. Fatendum quidem haec vitia pro parte ex ipsa L. I. originem ducere, et, nisi hac lege mutata, evitari non potuisse, sed ulterius progredior, et ea Cod. Qu. Crim. magnopere esse aucta contendo. Ut dilucide hoc ostendatur, animadvertamus :

1. Jurisdictio extraordinaria nimis multas causas sibi subjectas habet.

Jurisdictio extraordinaria numquam est privilegium, et hoc magnum ex ea nascitur incommodum, quod accusatus omni ad superiorem judicem provocatione caret; hanc difficultatem evitari quidem non posse lubenter fateor, sed inde incumbit legislatori obligatio eam quam arctissimis limitibus circumscribendi. An hoc fecit? longa officialium in art. 92 R. J. enumeratorum series contrarium ostendere videtur. An metus, ne reus illicitam vim in inferiorem judicem exerceret, ad extraordinariam duxit jurisdictionem? sed quot personae S. S. subjiciantur, qui nullo modo tantam vim exercere possint, supra ostendimus. An hoc institutum originem debet sententiae illustrioribus fungentes muneribus etiam illustriorem agnoscere debere judicem? at quam veritati contraria, quam totius regiminis indoli incongrua sit haec opinio, jam demonstratum. Sitne causa quaerenda in eo, quod delicta in munere gerendo a primariis magistratibus commissa majoribus locum dant difficultatibus, et ideo superiorem habere debent judicem? cur in hac hypothesis communia delicta eidem subjicere foro? et praeterea, an haec causa vim suam retinet in omnibus, qui in art. 92 no. 2 nominantur? hoc enim de camerae rationum sociis et de rei monetali praefectis dici non potest; magno-officialium etiam mentio h. l. facta cum tota aulae regiae constitutione pugnat. Non praeter necessitatem extendi jurisdictionem extraordinariam quam maximi est momenti ob dispositionem, qua

etiam delinquendi socii S. S. forum sequuntur. Non tamen ideo legislatorem reprehendere volo; ob causae connexitatem enim divisio fieri nequit, et, si unquam, sententiae judicariae inter se pugnantes evitandae in iis causis, quae prae ceteris animadversionem publicam ad se vertunt; sed eo majore cura cavendum, ne hujus instituti fines praeter modum extendantur.

2. Dispositiones legales, quae ordinum consensum vi art. 175 L. J. impetrandum spectant, ut fere numquam actio contra administrum constitui possit, efficiunt; optimum praebent munimentum ei, qui sententiam judicariam evitare vult, et contra ad virum honestum defendendum adversus injustas praesumptiones non sufficiunt.

Magnum hujus rei vitium est, quod concilia legifera hunc consensum separatim, non in unum conventum conjuncta, dare debent. Accusandi enim officium procuratori generali relictum esse, id L. J. imputandum, et hac in re legislator ordinarius nihil mutare poterat; ne vero nimis facile procurator hoc officio fungatur, provisum est art. 5 R. J. et art. 12 eod., quamquam silentio non praetereunda h. l. vis, quam ad horum art. effectum minuendum, fortasse tollendum, art. 109 R. J. habet.

Ponamus vero ordinum consensum esse rogatum, saepe fiet fortasse, ut jam concilium inferius eam denegandam esse censeat, sed imprimis hoc de superiori dicendum. Modus enim, quo socii ejus nominantur, hanc necessariam habebit sequelam, et praeterea metuendum, ne accusatus forte hujus rei rationem habuerit in novis sociis nominandis. Necessario inde sequitur fore, ut populus numquam hoc concilium justum judicem esse credat, sed id semper his, qui rebus praesint, favere. Administer vero honestus, nullius delicti conscius, et qui a judicio sine ullo dubio, coram toto populo, et unicuique accusationis et defensionis argumenta

comparandi copia data, absolutus esset, sed qui ob unam alteramve causam concilii inferioris majorem numerum sibi oppositum videt, hoc modo verisimiliter a concilio superiori contra omnem persecutionem obtegetur, sed contra populi rumores nullum ei aderit praesidium, et incertitudo quaedam apud multos manebit, annon potius ob generalem erga Regimen animum, qui in concilio adesse credatur, quam ex mera justitia consensus sit denegatus.

Haec omnia pro maxima parte evitari potuissent, lege constituyente de hocce ordinum consensu, in uno conventu ambo concilia esse actura. Neque hoc contra L. J. pugnasset. Ubi enim hoc est prohibitum? Quae modum deliberandi spectant, praecepta in L. J. tradita ex rerum natura ad ordinarias res pertinent; argumentum vero a contrario, quod ex art. 105 deducunt, non est admittendum; semper istiusmodi argumentum periculosum; et h. l. falsum videtur.

3. Inquirendi modus in tit. XIV Cod. Qu. Crim. constitutus eo laborat vitio, quod varii inquisitionis gradus ab ejusdem collegii sociis, et saepe ab iisdem personis perficiuntur.

Hoc vitium, quod jam in ordinariis adest causis, multo majorem vim habet in iis, quae S. S. sunt subjectae. Non modo enim, ut in illis, inquisitio, de qua agit. Tit. IV Cod. Qu. Crim. et publica causae pertractatio ab eodem perficiuntur collegio, sed praeterea quae in illis a tribunalibus peragenda sunt, etiam in his S. S. incumbunt. Jam in decretum ad inquisitionem instituendam (*regts-ingang*) emittendo sententiam suam quodammodo fert judex, qui postea condemnare aut absolvere debet. Anomaliam praeterea in eo constantem, quod in his causis criminis accusatus uno inquisitionis gradu caret, jam animadvertimus.

Haec vitia hanc juris nostri partem consideranti imprimis obveniunt; quaestionem, an probanda sit L. J. quod hanc jurisdictionem S. S. detulerit, infra tractabimus; sufficiat h. l. animadvertisse, eos, qui hoc improbent, non modo incommoda, quae huic instituto inhaereant, significare, et evitare debere, sed etiam esse cavendum, ne alia fortasse majora inde oriantur.

Hoc loco finem imponamus inquisitioni nostrae de institutis judiciariis nostris, quatenus jurisdictionem extraordinariam spectant. Transeundum nunc est ad Cod. Poen., ut, quatenus hic delictorum imprimis ab iis, qui S. S. submissi sunt magistratus, committendorum rationem habeat, inquiramus.

## PARS ALTERA.

### *De lege poenali, extraordinariae jurisdictionis ratione habita.*

Quemadmodum in hujus cap. parte priori vidimus de institutis nostris judiciariis nostrum argumentum spectantibus, in hac videndum est de lege poenali, quatenus huc pertinet, et inquirendum, quaedam delicta a magistratibus S. S. forum sequentibus in munere gerendo committi possint, et quamnam eorum rationem habeat lex poenalis.

Raro, quid dico! fere numquam, horum delictorum mentio facta, et si forte ejusmodi delictum memoratum, mutatus rerum ordo, hodierni regiminis forma ab ejus, quod eodidem, quo utimur, condidit, natura plane diversa tantam exercent vim, ut merito quaeri possit, annon melius fuisset, si omnino silentio praeteritum esset.

Alio modo igitur in hac parte progrediendum videtur; si



enim adhuc in explicandis legibus jam constitutis versati sumus, nunc potius nobis incumbit ostendere, quinam hiatus in Cod. Poen. adsint, et quomodo remedium afferri possit; quae in re optima methodus videtur adhibendo, quae historia et diversarum legislationum poenaliu[m] comparatio nos docent, singulis Cod. Poen. art. ea adnotare, ad quae animadvertenda ansam nobis praebent.

Adnotatio nostra initium ducit ab art. 80 Cod. Poen., ubi videmus poenam statui in magistratum ea, quae ratione muneris fidei ejus sunt commissa, et foedus ineundum aut expeditionem militarem faciendam spectant, cum hostibus aut cum peregrina potestate communicantem. Legitur art. ille in ea Cod. sectione, quae agit de „criminibus et delictis contra externam reipublicae securitatem”, et inde intelligere licet, cur arcanorum solis cum hostibus et peregrinis communicationis mentionem faciat; sed quomodo factum, ut non omnium sed solummodo eorum, quae foedus aut expeditionem spectant, divulgatio puniatur? ut solus is magistratus, qui dolo malo hoc perpetraverit, non etiam ille, qui culpa et negligentia deliquerit? Multum igitur abest, ut art. 80 omnibus numeris sit absolutus, nam arcanorum divulgationem saepe externae reipublicae securitati damnum afferre posse, quin ejus applicationi locus sit, unusquisque videt 1).

Animadvertendum vero hoc delictum divulgationis arca-

1) Accuratus specimen Cod. Poen. Bat. anni 1842. Art. enim 13 no. 3 tit. 1, poenam statuit in arcana cum hostibus communicantem magistratum, art. 16 no. 2 eod. in eum, qui idem erga peregrinam, non hostilem, potestatem hoc perpetravit, art. tandem 20 no. 3 in magistratum ea divulgantem, nulla ratione ejus habita, cui divulgatio fit. Qui art. 20, cum poenam imponat correctoriam, dolum malum non requirit, ut patet ex art. 4 leg. d. 10 m. Jun. anni 1840 St. B. no. 20; sed arcana illa divulgata, ut etiam in cod. anni 1810, foedus aut expe-

norum ratione muneris magistratui commissorum variam induere posse vestem; ex iis, quae supra jam dicta sunt, id nonnunquam ad perduellionum genus pertinere patet; potest etiam fieri, ut corruptio locum habeat, et nonnunquam ad injuriarum speciem pertinebit 1), quibus casibus regulae de delictorum concursu vim suam retinent; hoc loco vero de solo divulgandi delicto per se constante agimus. Praeterea, ut accurate id delictum definiamus, distinguendum, utrum reticendi obligatio ex ipsa rerum natura sequatur, an speciali injunctioe delinquenti imposita sit, et tandem tenendum divulgationem perpetrari posse dolo malo et etiam culpa aut negligentia, quorum omnium rationem habere debet legislator 2).

Inter eos, qui S. S. forum sequuntur, imprimis h. l. in censum veniunt ordinibus adscripti et iudices.

Ordinum Generalium concilium superius populum a conventibus suis arcet; non tamen inde sequitur obligatio, ut ita dicam, moralis ea, quae ibi peraguntur, non divulgandi;

ditionem militarem spectare debent, et nullibi de speciali hoc delicto in eo specimine agitur.

1) Cf. Henke, *Handbuch des Criminalrechts und der Criminalpolitik*, vol. III, p. 511.

2) Cf. *Crimineel Wetboek voor het Koninkrijk Holland*, art. 317: *Ambtenaren, die..... de hun opgelegde, of wegens den aard der zake kennelijk vereischte geheimhouding verbreken*; quamquam utrumque eadem poena punit. Idem Cod. eod. mulctam aut a muneris remotionem statuit contra magistratum, qui sine dolo sed per culpam, imprudentiam aut negligentiam deliquit; vid. etiam spec. an. 1827 ord. propositum, art. 469.

Cod. Bavarus distinguit, utrum sibi ipsi, an alii emolumentum afferre voluerit delinquens, et etiam utrum aliquis ex divulgatione damnatus sit, necne. Cf. Henke, l. l. p. 514.

Hujus delicti etiam mentionem facit Cod. Braz. art. 164 in sectione de magistratum factis culposis agente, in iis vero, quae de dolosis agunt, nihil hac de re invenitur.

debet adesse quaedam specialis injunctio, jusjurandum aut mandatum.

Quod attinet ad consilium inferius, L. J. art. 109 uniuersique ad ejus conventus liberum esse aditum jubet, concessa tamen facultate *valvas claudendi*.

Decretum deliberandi modum ordinans (*Reglement van orde*) art. 56-60 principium art. 109 L. J. accuratius definivit, et etiam art. 59 1) agit de obligatione non divulgandi ea, quae in conventu secreto sunt peracta; viderunt enim ordinibus adscripti hanc non semper ex rebus ibi pertractatis sequi, quod locum dedit dispositioni, quae eam sociis totidem verbis imponi jubet.

Hoc igitur requiri videtur, ut deliquisse dici possit ordinibus adscriptus; res in conventu secreto pertractata, et eam non divulgandi obligatio sociis ab ipso concilio imposita esse debet.

Quae de ordinibus adscriptis diximus, etiam pertinent ad graphiarios; hoc ex ipsa re sequitur, et praeterea totidem verbis constitutum 2).

Nunc nobis agendum est de iudicibus divulgantibus, quae ratione muneris cum iis sunt communicata. Art. enim 28 R. J. eos jubet silentio premere sententias in conventibus deliberandi causa institutis (*raadkamer*) emissas; non tamen, ut de ordinibus dicendum, omni sanctione poenali caret haec injunctio. Hierarchia, quae in potestate judicatrice obtinet, locum dedit art. 12 et 14 R. J. 3), quorum posterior

1) Art. 59: *De Kamer met gesloten deuren raadplegende, kan, op voorstel van den Voorzitter of van één der Leden omtrent het aldaar behandelde de geheimhouding opleggen.*

2) Cf. decr. cit. art. 60 et Graphiarii mandatum d. 25 m. Nov. anni 1842, art. 16 et 21.

3) Art. 12 R. J. *Elk raadsheer, regter of griffier, die tot eene correctie-neele straf mogt zijn veroordeeld, kan, op requisitoir van den procureur ge-*

collegiorum praesidibus facultatem socios reprehendendi et admonendi concedit, et prior S. S. potestatem tribuit, postulante procuratore generali, iudicem quemcunque dimittendi, qui se male contra bonos mores gesserit, aut etiam munus suum neglexerit.

Hae duae dispositiones quodammodo hiatum replent legis poenalis. An tamen sufficiunt? an effectum capere possunt? Dubitare licet.

Jam animadvertimus divulgationem istam dolo malo fieri posse. Hic si adest, nullam video rationem, cur delinquens non vera poena puniatur; qui primarium in civitate munus gerens in ipso gerendo delinquit, dignus, qui *poena* afficiatur, et non sufficit in hac hypothesi dejectio, de qua agit art. 12, quae potius ordinis causa quam poenae instar locum habet, quae non a iudice vindictam publicam excercente, sed a superiori in inferiorem animadvertente pronuntiatur.

Haec S. S. enim facultas est loco potestatis, qua fruitor Regimen officialem quemcunque male se gerentem a munere removendi, quae, cum adversus iudiciorum socios eam non habeat, concessa S. S., qui per sententiam iudiciariam remotionem pronuntiare debet, ut art. 184 al. 3 L. J. satisfiat; prout igitur alii magistratus in munere male se geren-

neraal, door den hoogen raad worden ontzet, na in zijne belangen te zijn gehoord.

Gelijke ontzetting kan op dezelfde wijze worden gevorderd en uitgesproken wegens wangedrag, onzedelijkheid of merkelijke achteloosheid.

Indien een ambtenaar etc.

Art. 14 R. J. De presidenten van den hoogen raad, van de hoven en regtbanken, hebben ambtshalve, of ter requisitie van het openbaar ministerie, de bevoegdheid om aan elk raadsheer en regter in hunne kollegien, welke de waardigheid van hun karakter of hunne ambtsbezigheden mogten verwaarloozen, de noodige waarschuwing te geven. Cf. etiam de cr. ordinem internum tribunaliū constituens (reglement op de inwendige dienst) art. 76.

tes aut a superiori reprehendi et dimitti, aut judiciis tradi possunt, ita etiam judiciarii a iudice poena affici, aut secundum art. 12 cit. dimitti possunt.

Quis tamen istis casibus erit, ut ita dicam, modus procedendi? quomodo causae dejectionis probari poterunt? utrum hac in re iudex solam suam opinionem sequi potest, an obstrictus est praeceptis Cod. Qu. Crim. 1) de delictorum probatione?

Mirandum, quod neque in lege de R. J., neque in decreto ordinem internum tribunalium constituyente (*Reglement op de invendige dienst*) quidquam de sociorum, qui in his causis adesse debet, numero, invenitur 2). Cum nihil hac de re constitutum sit, ad art. 12 applicandum totum collegium requiri dicendum videtur.

Reticentiae obligatio, quae ex ipsa rerum natura sequitur, aut, ut loquitur Cod. Batavus an. 1808 *de wegens den aard der zake kennelijk vereischte geheimhouding* incumbit imprimis iudicibus commissis et M. P. exercentibus, ne intempestiva divulgatione moneantur suspecti ad ipsorum securitati providendum.

Hujusmodi divulgatione b. f. commissa, sufficere videntur art. 12 et 14 cit., quod attinet ad iudices commissos. Potestas vero, qua praeditus est S. S. ratione iudicum, ratione Ministerii Publici concessa est Regi art. 12 al. 3 R. J. 3),

1) Probationis praecepta enim, quae in civilibus locum habent, huic argumento adaptari non possunt. Cf. not. sq.

2) Hoc jam animadversum in sectionibus concilii inferioris specimen legis ad mutandum art. 12 R. J. anno 1842 propositum deliberantibus. Constitutum in illo specimine ad talem destitutionem pronuntiandam decem socios sententiam ferre debere, et S. S. sequi modum procedendi in causis civilibus primo loco ei subjectis praescriptum. Hoc specimen, ut notum, nunquam vim legis obtinuit.

3) Art. 12 al. 3 R. J. *Indien een ambtenaar van het openbaar ministerie*

cum reprehendendi et admonendi facultas, de qua agit art. 14 cit., penes superiora est collegia 1).

Rex aut potius Justitiae administer hac potestate gaudeat, quatenus M. P. apud tribunalia proprie ita dicta spectat; quomodo vero talis non limitata dimittendi potestas consentanea esse possit L. J. praeceptis, quae procuratores generales eorumque locum tenentes ad vitam nominari jubent, ii ostendant, qui contraria conciliare possunt.

Summae vero Curiae Militaris 2) socii etiam non divulgandi obligatione tenentur, sed eos nulla sanctione poenali adstringi dicendum; art. enim 12 et 14 cit. ad eos pertinere non facile defendi potest.

Ostendimus, quod attinet ad ordines generales et iudices, necessariam esse sanctionem poenalem ad firmandam obligationem reticentiae; fere omnes magistratus hoc modo delinquere possunt, ita ut specialis eorum enumeratio nullius esset utilitatis; inter eos, qui S. S. iudicem agnoscunt, praeter jam memoratos mentionem faciamus status-conciliariorum, qui secundum 3) art. 16 mand. ad hoc obstringi possunt. Neque praetereundi h. l. sunt legati et administer, qui relationibus cum exteris praecest 4). Arcana, vero, quae ab

zich in een der gevallen van dit artikel mogt bevinden, zal deszelfs ontzetting, nadat de hooge raad daaromtrent zal zijn gehoord, door den Koning kunnen gedaan worden.

1) Cf. art. 72 et 108 R. J.

2) Cf. Provisioneele Instructie voor het Hoog Militair Gerechtshof an. 1814 art. 22, 90 et 106.

3) Cf. Voorloopige Instructie d. 6 m. Apr. an. 1814 art. 16. De geheimhouding omtrent eenig voorval of punt van deliberatie zal aan de leden, op den eed aan ons gedaan opgelegd worden, zoo dikwijls de Secretaris van Staat, Vicepresident, zulks raadzaam zal oordeelen, of de meerderheid der leden zelve zulks vorderen zal.

4) Imprimis temporibus Reipublicae nostrae querebantur, quod, quae

iis divulgari possunt, fere semper ad ea pertinebunt, quae spectat art. 80 Cod. Poen.

Haec erant, quae de arcanorum divulgatione animadvertenda habebam, et nullum omnino dubium videtur esse, quin in sect. Cod. Poen. de delictis a magistratibus in munere gerendo committendis agente desideretur dispositio contra hoc delictum poenam statuens, et distinguens, utrum specialiter magistratus ad silentium obstrictus sit, an haec obligatio ex rerum natura profluat, et praeterea transgressus b. f. commissi rationem habens necne, prout in Cod. systemate dolus requiratur, aut culpa sufficiat.

Cum jam fusius de art. 12 al. 2 R. J. egerimus, nonnulla de hac lege h. l. addamus.

Supra jam animadvertimus hanc S. S. facultatem locum esse ejus qua, quod ad alios magistratus attinet, fruitur Regimen, eos, si male se gesserint, a munere removens. Ratio legis proprie in ad vitam aut certe ad certum tempus nominatione posita, et ideo transferenda videtur haec lex ad alios magistratus, qui ad vitam aut ad certum tempus nominari solent.

Inter eos, qui S. S. agnoscunt, huc pertinent Ordinibus Generalibus imprimis concilio superiori adscripti, collegii generalis ad rationes accipiendas socii, rei monetali praefecti, et, quum hos spectare non videatur art. 12 R. J., qui in Curia Militari sedent.

---

Ilagae-Comitis deliberarentur, ita celeriter divulgarentur. Non vero hoc mirum; animadvertendum enim, quot personae harum rerum participes essent. Divulgatio vero quam saepe fieret, intelligere licet ex sex personis d. 2 m. Mart. anni 1729 ex hac causa condemnatis, inter quas tres erant ordinum Graphiarum, qui jam per plures annos hac ex re lucrum ceperant. Cf. *Sententien v. d. Hove v. Holland tegens Jan v. Amelonse*, *Mr. Nic. Fromer Willem v. Wessem* etc. H. C. An. 1729.

Hi omnes enim ad vitam constituti hac in re licentiam ad negligenter se gerendos videre possunt; praeterea, quae ab iis perficiuntur, quum non singulorum sociorum, sed totius collegii fiant nomine, non singulis sociis, sed toti collegio honorem aut dedecus afferunt, quod ad majore cura res peragendum nullo modo impulit. Cavere debet lex, ne hoc fiat, et quo pauciores numero sunt horum collegiorum socii, eo majore cura huic rei providendum, et imprimis etiam hoc necessarium videtur, quod attinet ad ea collegia, quorum conventus non publice habentur.

Quum ordines generales satis multi sint numero, ut alter alterum contineat, et Curiae Militaris socii rerum gestarum opinionem publicam, i. e. totum populum, judicem accipiant (quamquam, quum ejusmodi lex, quam desideramus, in judices civiles adsit, non video, cur non judex militaris ea obstringendus sit), ejusmodi lex, quod ad eos attinet, non summae videtur esse necessitatis, sed imprimis spectare debet concilii generalis ad rationes accipiendas socios et rei monetali praefectos. Haec collegia enim ex septem aut ex tribus constant sociis; quae ab iis peraguntur, non nisi pro minima parte in lucem prodeunt; facillime igitur, ut uniusquisque intelligit, pravae consuetudines, pigritia, inertia 1), aliaque socios a rite officiis fungendo abstrahentia invadere possunt, contra quae praecepta, qualia adsunt in art. 12 al. et 14 R. J., optime adhiberi possunt.

Fortasse, immo verisimiliter, adsunt, qui hoc improbant; concedatur admonendi facultas collegiorum illorum praesidi-

1) Huc trahere possumus verba V. Cl. Thorbecke Op. I. I. p. 233: *hebbelijheden, nadeelig aan de publieke zaak, die alom insluipen, waar eene vereeniging van dezelfde personen steeds dezelfde aangelegenheden behandelt.*



bus, qualis in art. 14 R. J. judiciorum praesidibus est tributa; quod vero attinet ad art. 12 eod. tenendum collegiorum socios, ad quos eum transferre vis, ad vitam nominari jubere L. J. Idem quidem de iudicibus statuitur, sed statim additur eos a munere removeri posse per sententiam judicariam, quod neque de camerae rationum sociis neque de rei monetali praepositis dicitur; hi igitur ad vitam nominati removeri non possunt; unius inclusio, alterius exclusio, ergo..... Haec et multa ejusmodi afferri possunt; annon vero magis speciosa, quam vera sunt?

Quaenam fuit mens L. J. auctorum hos officiales ad vitam nominandos esse constituentium? Sine dubio, ut munere rite fungi possent sine metu, ne Rex aut administer, quorum voluntati se opposuissent, eos a munere destituerent; an tamen eorum fuerit mens, quemcunque semel ad hoc munus nominatum eo semper gaudere debere? an credi possunt voluisse, ut demens aut semper aegrotans primaria in civitate munera gereret? „Minime sine dubio” quis dicat „haec numquam eorum fuerit voluntas, quid autem statuere voluerint, nihil ad rem facit; solummodo videndum, quid revera statuerint, et hoc verum hos officiales ad vitam nominari jussisse L. J. conditores; eorum menti magis fuisset consentaneum, si quid de modo, quo a munere destitutio fieret, constitutum; sed hoc non factum, igitur nullo modo a munere removeri possunt”.

Non hic est locus, quo de quaestione, utrum potius verba an mens legis sequenda, agamus; liceat tamen animadvertere, quo magis peculiaris lex constituat, eo accuratius verbis esse haerendum, quo contra generaliora, eo latiore campum analogiae et interpretationi esse relictum, et quaenam lex generaliora definit quam lex fundamentalis? in quam igitur lege interpretanda magis analogia desideratur?

Haec efficiunt 1), ut dispositioni L. J. hōs officiales (concilii generalis ad rat. acc. socios et rei monetali praefectos) ad vitam esse nominandos hanc vim tribuam: Ad vitam quidam nominantur; ob certas vero rationes in lege praevia accurate definitas a munere removeri possunt; sed lex praeterea remotionem illam ejusmodi formis circumdare debet, ut nullus inde sit metus, ne hac facultate destituendi abutatur potestas executrix, ad quam continendam perpetua horum officialium dignitas constituta.

Hanc esse mentem L. J. etiam permulti ordinum generalium collegio inferiori adscripti censuerunt 2). Patet hoc ex lege d. 5 m. oct. an. 1841 art. 3 al. 2 et 3 3), ibi

1) Cf. Carré: *Les lois de l'organisation et de la compétence etc.* I. p. 27 ubi de ipsa quaestione, an iudex destitui possit, disserens auctor his utitur verbis. *Or un principe, une règle générale supposent toutes les exceptions, toutes les restrictions ou modifications fondées sur la raison et la justice, et sans lesquelles son application illimitée entraînerait des abus graves et des contradictions les plus choquantes.*

2) Contrariam vero sententiam emittit V. Cl. Thorbecke. *Aanteekening II*, p. 243. Cf. etiam p. 202.

3) *Wet, houdende Instructie voor de Algemeene Rekenkamer* (Sib. 1841 no. 40) art. 3 al. 2. *Bij wangedrag, onzedelijkheid of merkelyke achteloosheid, zoo ook in geval van ongeschiktheid door ouderdom, zwakte of aanhoudende ziels- of lichaamsziekten van een Lid der algemeene rekenkamer, zal het collegie daarvan kennis geven aan de Tweede Kamer der Staten Generaal, ten einde naar bevind van zaken, ter vervanging van zoodanig Lid, eene voordragt aan den Koning te doen.*

*Overigens worden de bepalingen, die, ten aanzien der Leden van de Regterlyke magt, vervat zijn in de art. 11 en 13 van de wet op de Regt. Org. en het Beleid der Justitie, ook op de Leden van de Algemeene Rekenkamer toepasselyk verklaard.*

Digna, quae animadvertatur, dispositio Cod. Poen. Braz. art. 166: *L'Employé public qui sera convaincu de débauche publique et scandaleuse, du défaut de jouer des jeux prohibés, ou d'ivrognerie repetée, ou d'avoir quelque inaptitude notoire, ou de negligence habituelle dans l'accomplissement de ses fonctions.*

*Peines. La perte de l'emploi avec inhabilité à en occuper aucun autre,*

enim camerae rationum socios a munere removeri posse videmus. Hoc fit per sententiam judicariam (al. 3 cit.), si poena infamiam secum trahente plectitur socius; a quo vero destitui eum oportet, si fit remotio ob alin. 2 cit? videtur hoc fieri debere a Rege 1), cui etiam concedenda facultas dijucandi, an locus sit remotioni; hac enim facultate gaudent ordines, igitur et Rex ea gaudeat.

Hoc modo L. J. praecepto satisfactum videtur; ordines generales et Rex in unam convenire debent sententiam, ut locus sit art. 3 cit. Remotio quidem fieri potest, sed talibus circumdata est formis, ut nullo modo quis ea abuti possit.

Hactenus de camerae rationum sociis; lex vero, quae concilium rei monetali praepositum constituit, caret ejusmodi dispositione, quamobrem, huic rei ut provideatur, quam maxime desiderandum 2).

Art. 12 cit. al. 3 agit de M. P. exercentibus, et eos, audito S. S., destitui posse a Rege constituit; loquitur haec lex de omnibus hoc munus gerentibus, igitur etiam de iis, qui secundum art. 184 L. J. ad vitam nominantur. An tamen art. ille ejusmodi destitutionem permittit? Supra duo postulavimus, ut fieri posset, quin L. J. contraria esset, et

---

*jusqu'à ce qu'il fasse constater, qu'il s'est complètement amendé* (eversione Foucher). De eodem argumento cf. orationes in concilio inferiori habitae de legis specimine ad mutandum art. 12 R. J. *Staatscourant* d. 15 sqq. m. Dec an. 1842.

1) Cf. litterae elucidandi causa specimini legis ad mutandum art. 12 R. J. adjunctae.

2) Illicusque de rei monetali praefectis quasi ad vitam constitutis locuti sumus. Animadvertendum tamen, nullam adesse legem, qua hoc praeceptum. Nominationis vero modus, et muneris natura faciunt, ut perpetuam eorum esse dignitatem credamus.

quidem: rationes praevia lege definitas et formas, quibus caveretur, ne quis hac dimittendi facultate abuteretur. Rationes quidem definitae sunt, sed formarum constitutione prorsus caremus.

Unusquisque enim necessitudinem inter art. 12 R. J. et art. 5 eod. 1) videt. *Bevoegde magt* 2), de quo loquitur art. ille, est Justitiae administer, unde hanc absurditatem in lege habemus: magistratus M. P. exercentes, ad vitam nominati, ne a Regimine destitui possint, ei obtemperare debent, nisi jure destituantur.

Non hic est locus, quo de natura M. P. disputemus, aut agamus de quaestione 3), utrum revera necesse sit, hos magistratus a Rege destitui posse, necne; etiam iis, qui L. J. iudices non nisi per sententiam judicariam destitui posse jubentem de M. P. non agere contendunt 4), concedere volo, sed inde solummodo sequeretur legi ordinariae majorem libertatem esse relictam, non destituendi facultatem penes solum Regimen esse debere 5).

1) Art. 5 R. J. *De ambtenaren bij het openbaar ministerie zijn verplicht de bevelen na te komen, welke hun in hunne ambtsbetrekking door de daartoe bevoegde magt, van wege den Koning, zullen worden gegeven.*

2) Cf. de Pinto, *Handleiding tot de wet op de Regt. Org.* enz. et etiam *Memorie van toelichting supra cit.*: Door de algemeenheid der woorden wangedrag, onzedelijkheid of merkelijke achteloosheid, lijdt het dan ook geene twijfel, dat onder dezelve met betrekking tot de ambtenaren van het O. M. ook begrepen is de nietnaleving van iederen ambtspligt, hetzij met opzet, hetzij ten gevolge van merkelijk verzuim gepleegd.

3) Haec afferri possent, si de jure constituendo ageretur, sed nullius h. l. sunt momenti. Lex Imp. enim hoc necessarium duxisse non videtur.

4) Cf. tamen relatio generalis a sectione centrali prolata d. 9 m. Dec. an. 1842 (*Algemeen verslag der centrale afdeeling*).

5) Hujus sententiae videntur fuisse litterae eluc. causa adj. (*memorie van toelichting*) cit.

Sed audiendum esse antea S. S. quis dicat. Audiendus est quidem, sed ejus sententia nullam habet vim, nisi quatenus ea uti velit Regimen; fuerunt in concilio inferiori anno 1842, qui omnino removendi jus penes Regem manere probarent, sed, ut eo solummodo uti posset S. S. rogante, vellent<sup>1)</sup>. Hoc modo si res ordinata, S. S. sententia efficax esset; nunc vero nullam habet vim, nisi quam ei tribuere velit Regimen.

Praeterea tamen, si hac facultate abuteretur Regimen, inde actionem contra Justitiae administrum institui posse vi art. 75 L. J. fatendum<sup>2)</sup>; metuo vero, ne remedium pejores habeat sequelas, quam malum, cui medendum; et praeterea sitne timendum, ne dispositio ista art. 5 totum ab administris rationum reddendarum institutum evertat? quid enim? nonne hoc modo removeri poterit procurator generalis, quoties ex art. 75 L. J. actionem instituere volet?

Videtur igitur art. 12 R. J. al. 3 Regimini facultatem tribuere, quae L. J., ne pejora dicam, non satisfacit; quid vero, si art. 184 al. 3<sup>3)</sup> ita intelligendus, ut sub voce *regter* etiam M. P. exercentes comprehendendi, et haecce alin. omnes spectat, qui in initio hujus art. enumerantur? An in hac positione ullum dubium, quin art. 12 R. J. contra art. 184 L. J. pugnet? 4)

1) Cf. Relatio praevia (*voorloopig verslag*) de lege saepius jam memorata no. 9.

2) Cf. Orationes an. 1842 in concilio inferiori emissae imprimis a V. Amp. v. Golstein et Luyben.

3) Art. 184 L. J. al. 3. *Geen regter mag gedurende den bepaalden tijd zijner bediening van zijnen post worden ontslagen, dan op eigen verzoek of bij regterlijk vonnis.* Vir Amp. de Bosch Kemper, Op. I. I, p. 163 locutionem *Leden van den Hoogen Raad* etiam de procuratore generali intelligendam esse censet; cui quaestioni cum nostra omnino adest quaedam similitudo.

4) Cf. Vir Cl. Thorbecke Op. laud. ad art. 184.

Tandem paucis agendum de Curiae Militaris sociis. Hos enim spectare non videtur art. 12 R. J.; quemadmodum verum accusati S. S. judicem agnoscunt, suntne quoque in ejusmodi causis ei submittendi?

Mentio etiam facienda ordinum graphiariorum, itemque eorum, qui apud cameram rationum et rei monetali praepositos sunt ab actis. An hi ad vitam nominantur? an art. 3 l. d. 5 m. Oct. an 1841 etiam ad secretarium illius collegii pertinet?

Ex iis, quae jam diximus, patet dispositionem, qualis est in art. 3 cit., etiam desiderari in lege concilium rei mon. praepositum constituyente; art. 12 al. 2 R. J. extendendum esse, ut senectus, aegritudo non intermittens, aliaque justam remotionis causam praebant; eundem contra art. al. 3, quamquam eodem modo extendendus, omnino mutandum; praeterea art. 12 R. J. ita mutatum ad Judices militares esse trahendum, et tandem ejusdem generis dispositiones desiderari de secretariis collegiorum, quae supra memoravimus.

Art. 103-107 Cod. Poen., an. 1832 in Francia abrogati, poenas statuunt in eos, qui crimina contra externam et internam civitatis securitatem celant. Negari non potest multas et adeo graves rationes contra tam generalem dispositionem militare, et eheu civitas! cujus cives istis comminationibus egeant, ut patriae securitati provideant. Legentibus vero in art. 13 Cod. Qu. Crim. quaecumque auctoritatem publicam, vi muneris de delicto quodam commisso certiore factam, teneri id cum M. P. communicari, et in art. 14 eod. idem constitutum esse de privatis, quatenus delictum commissum, sive contra quietem aut securitatem publicam, sive contra alicujus personam aut bona, et in art. 39 eod. cuicumque officiali injungi ut flagrantis delicti su-

spectum apprehendat, non potest non in mentem venire, utrum sanctio poenalis requiratur necne, quo casu dispositiones art. 103-107, quum sola crimina politica spectent, non modo non abroganda, sed omnino extendenda sunt 1).

Quod attinet ad magistratus, sufficere possunt, aut potestas disciplinaris, quam superiores in inferiores habent, aut art. 12 et 14 R. J. imprimis illis mutationibus, quas necessarias esse supra ostendimus, adductis; si vero speciali carent sanctione poenali, hi art. Cod. Qu. Crim. plane sunt otiosi, quatenus privatos spectant, et nihil continent nisi obligationis moralis impositionem; ridicula adeo fit dispositio art. 14 eod. al. 2).

Aut igitur in lege poenali poena constituenda contra eos, qui art. 13 et 14 cit. non obtemperant, aut hi art. e lege sunt recidendi 3).

Transeundum nunc est ad art. 114 Cod. Poen. *Lorsqu'un fonctionnaire public, un agent ou un préposé du gouvernement aura ordonné ou fait quelque acte arbitraire, et attentatoire*

1) Cf. de hocce arg. J. L. Königswarter, *Geschiedkundig Overzicht der Wetgeving van de voornaamste Volken omtrent het straffen der nietaangiften van Staats misdaden* in coll. *Ned. Jaarb.* I. no. 2.

Hic auctor vero de solis criminibus politicis agit, sed ceterorum tamen facit mentionem: *Hieruit volgt, dat wij dus niet alleen bij misdaden onmiddelijk tegen den Staat gerigt, maar bij alle (ten minste zwaardere) misdaden den burger verplicht willen hebben daarvan aangifte te doen, hetzij...* Omnino ei assentimus hoc factum delictum esse sui generis, nullamque ei cum crimine celato inesse necessitudinem, statuenti.

2) Art. 14 al. *De vorenstaande bepaling is niet toepasselijk op de personen bij het tweede en derde lid van art. 65 vermeld.* Personae in art. 65 nominatae sunt cognati et affines in lin. rect., fratres, sorores et affines eodem gradu, e latere cognati gradu tertio et quarto, conjux, et ii, quorum fidei ratione status arcana sunt commissa. Cf. etiam art. 378 Cod. Poen.

3) Cf. tamen de Bosch Kemper, I, p. 122, 123.

soit à la liberté individuelle, soit aux droits civiques d'un ou de plusieurs citoyens, soit à la Charte, il sera condamné à la peine de la dégradation civique. Hic art. non distinguit, utrum libertatis juris laesio facta sit a magistratu, nullo modo apprehendendi facultatem habente, an abusus sit facultate, qua revera praeditus sit, delinquens. De posterioribus solis nobis est agendum.

Facultas aliquem in carcerem excipi jubendi inter eos, qui S. S. forum sequuntur, concessa est.

1. Iis Curiarum Provincialium et Senatus supremi sociis, qui iudicis commissi locum tenent vi art. 257, 258, 82 et 325 Cod. Qu. Crim.

Ex poena 1), quam hiece art. statuit, luce clarius patet dolum malum requiri, ut applicari possit; aurea vero libertas multo majoris pretii res est, quam quae solummodo contra dolum non etiam contra culpam magistratuum defenderetur.

Facultas aliquem in carcerem immittendi, art. 77 Cod. Qu. Crim. iudicibus commissis concessa, verbis ita latam significationem accipientibus est descripta, ut facillime culpa hac in re delinqui possit, et tamen, nisi adhibeantur art. 12 et 14 R. J., nullum remedium contra hanc culpam adest; si unquam, sine dubio hoc loco opus est lege contra magistratum negligenter muneris fines transgredientem poenam comminante 2).

Negligenda tamen non est vis, quam hac in re exercet praescriptum, apprehensionem requiri debere a M. P. 3).

1) Cf. Chauveau et Faustin: *Théorie du Code Penal*, ed. Brux. II, p. 29.

2) Neque in specimine Batavo an. 1842 hujus rei ratio habita; tit. enim IX art. 7, ubi hac de re agitur, poena est aut infamiae aut carceris.

3) De significatione verborum *op requisitoir* in art. 77 cf. de Bosch Kemper, I, p. 370.



2. Ipsi curiis et S. S. in concilio deliberatorio et vi art. 309 Cod. Qu. Crim. Hi vero nullo modo tenentur ad rationes reddendas decisionum suarum.

3. Art. 310 1) Cod. Qu. Crim. hanc facultatem nonnullis tribuit magistratibus et collegiis, inter quos etiam enumerantur provinciarum praesides. Non vero necesse videtur contra hujus facultatis abusum lege poenali caveri.

An haec facultas etiam ordinum generalium concilio inferiori tribuenda? Sunt enim potestas publica ab ipsa L. J. constituta; publice deliberare debent, annon eodem jure ejusmodi legum praesidium sibi poscant?

Animadvertendum tamen hanc facultatem non tam necessariam esse ordinibus quam aliis illis collegiis. Ordines delegati v. c. saepe dimittuntur, ut quaedam inspiciant, v. c. lex de expropriatione his nonnullas partes mandat; politicae judicariae magistratus, ut aliud afferam exemplum, varia legis praecepta exsequi debent in casu flagrantis delicti, quae, prout res fert, domi privatorum aut in campis vel in via publica locum habent, unde nemo facile removeri potest; ordines generales contra conveniunt in conclave ad hoc institutum, unde facile perturbatores excludi possunt 2); sed hoc etiam de judicibus dicendum, qui tamen vi art. 305 hac facultate gaudent.

1) Art. 310 Cod. Qu. Crim. *Indien de commissarissen des Konings in de provincien, de leden der provinciale en gedeputeerde staten, de hoofden en leden van de gemeentebesturen, mitsgaders de ambtenaren van administratieve of regterlijke policie, in het openbaar eenige ambtseerrigtingen waarmede, oefenen zij insgelijks het toezigt uit bij art. 305 vermeld.*

*Zij kunnen de daders tot geene gevangenisstraf veroordeelen, doch zoo daartoe gronden zijn, dezelve doen vatten en proces-verbaal doen opmaken, hetwelk aan den bevoegden ambtenaar van het openbaar ministerie wordt toegezonden.*

2) Cf. decr. del. mod. ord. art. 110.

4. Cuicumque auctoritati politicae vi art. 167 L. J. Mirandum sine dubio, quod in nostra L. J. art. servatum videmus, qui libertati civium maximas laesiones inferre potest, sed fatendum eam dum adest vim habere; et legi incumbit, ne auctoritas politica ea abutatur, cavere. Hoc duplici modo faciendum; poenae enim statuendae in hanc facultatem sine necessitate adhibentem, et ipse ejus exercendae modus talibus circumdandus formis, quae, quominus iudice ignorante adhibeatur, impediant.

Posteriori parti provisum art. 422 Cod. Qu. Crim., quo unusquisque, cur civis, hoc modo apprehensus, traditus est, jubetur hujus rei certiozem facere, et Curiam Provincialem, et tribunal, quod nisi faciat, poenam subibit contra detentionem non legitimam statutam, qui tamen art. 422 adhuc sanctione poenali caret.

Secundo loco leges desiderantur contra art. 167 L. J. sine necessitate adhibentem. Qui vero sunt, qui dicuntur *auctoritas politica*? Utrum huc pertinent omnes potestatem executricem exercentes 1), an soli administri et fortasse provinciarum praesides? si prius verum, quam celerrime totus art. e lege recidatur; quod ad posteriorem attinet quaestionem vid. ad art. 115.

Ceterae dispositiones art. 114, quod ad nostrum attinet argumentum, solos administris et provinciarum praesides spectant; transire igitur liceat ad art. 115, qui nobis ad de his uberius disputandum ansam praebet.

1) Videtur haec fuisse sententia spec. an. 1842 auctorum in tit. IX art. 7 loquentium *ambtenaar van het politiek gezag*. Leges Francicae an. 1817 et 1820 eandem quidem praebabant facultatem, sed duorum aut trium administrorum requirebant subscriptionem. De Anglia cf. Sir W. Blackstone, *Commentaries on the law of England* IV.

Art. 315 Cod. Poen. agit de administris in jus vocandis ob actus arbitrarios in art. praec. nominatos. Hunc art. etiam hodie vim suam habere non est, quod multis verbis probemus 1); an vero sufficiat ad tuendum praeceptum L. J. art. 75 2)? Hoc omnino negandum videtur, quod ex explicatione singulorum art. 75 verborum evidentius sequetur.

Art. 75 solummodo ea spectat, quae administris *quasi tales (als zoodanig)* faciunt; quid vero volunt verba ista *als zoodanig*? Idem videntur significare, quod in art. 175 *in het uitoefenen hunner functien*; ad actionem igitur vi art. 75 instituendam semper ordinum consensu opus est.

Quaenam vero delicta in munere gerendo perpetrata esse dicantur, supra ostendere conati sumus 3). Sententiam emisimus ea significari, quae jura et obligationes politicas populum inter et summum Principem spectent; ad haec igitur trahenda sunt verba *als zoodanig*.

Ita v. c. administer, qui furtum aut homicidium committit, sine dubio puniri potest, hoc verum ab eo quasi tali esse perpetratum nemo contendit; difficilius tamen jam fit quaestio, si v. c. aliquem ad homicidium committendum coegerit comminationibus, quae ex statu administris vim nanciscantur, aut pecuniam publicam, quae ejus curae sit commissa, abstulerit, nondum tamen in hac hypothesis delictum in munere gerendo perpetratum videtur; sed aliam prorsus vestem

1) Dubitanter hac de re loquuntur Chauveau et Faustin Op. I. II. p. 37; tenenda tamen est vis, quam h. l. exercent art. 1 et 4 decr. d. 11 m. Dec. an. 1813.

2) Art. 75 L. J. *De Hoofden der Ministeriële Departementen zijn verantwoordelijk voor alle daden door hen als zoodanig verrigt, of tot welker daartelling of uitvoering zij zullen hebben medegewerkt, waardoor de Grondwet of de wetten mogten geschonden of niet opgevolgd zijn.*

3) Cf. Supra p. 41.

induit quaestio, administro, ut inimicum facilius et tutius occidat, facultatem art. 167 adhibente, aut, in altero nostro exemplo, ob in proprias res impensos reditus publicos non perfici curante, ad quae perficienda concessa erant vectigalia illa, aut etiam ad hoc alia tributa non concessa instituyente 1).

Eodem modo administer, qui Principis auctoritatem arctioribus limitibus circumscribere conatur, aut regiminis formam mutare volens hoc consilio Regi persuadit, ut talia decernat, quae populi animum moveant, ejusmodi aliaque committit, *in munere gerendo*, ut loquitur art. 175, aut *quasi talis*, ut dicitur in art. 75, delinquit; si contra idem eodem consilio multitudinem armatam convocet, nullo modo auctoritate ministeriali abutens (quamquam hoc rarius evenit), id crimen dicendum videtur a privato commissum, in quo puniendo nulli ordinum interventioni sit locus.

In omnibus his exemplis praeter delictum, ut ita dicam, ministeriale aliud adest commune, sed tenendum illud etiam solum adesse posse.

1) Arctioribus limitibus hanc materiam circumscribit Benjamin Constant in opusc. *de la responsabilité des Ministres*. Ille enim, ut iisdem utamur exemplis, (ratione quidem nostri juris publici habita) administrum art. 167 L. F. abutentem legi poenali obnoxium (responsabilem) esse crederet, quippe qui facultate legitima modo non legitimo abuteretur; et contra illum, qui tributa non concessa percipi jusserit, cum ad hoc nullum jus, nullam potestatem haberet, puniendum quidem, sed tanquam privatum institutis publicis vim afferentem, in iudicium esse deducendum censeret, non tanquam administrum responsabilem esse; cf. Op. cit. cap. I. Mohl contra in opere saepius jam cit. p. 136 hanc B. C. sententiam impugnans, omnes pacti fundamentalis laesiones ab administro, sive quasi tali, sive tanquam privato perpetratas, persecutioni coram extraordinario iudicio locum dare contendit; quae Mohlii sententia, quod ad theoriam attinet, fortasse bona, cum nostro jure positivo nullo modo convenit. Cf. etiam v. Rotteck Aretini opus I. absolvens III, p. 212.

Non vero necesse, ut laesa jura aut obligationes semper ex L. J. ipsa profluant, hoc enim contrarium esset vocabulis *waardoor* de Grondwet of de wetten *mogten geschonden* . . . . et revera dicendum, quum hae leges aut ex L. J. originem ducant, aut certe earum auctores a L. J. ad hoc sint instituti, earum laesiones ipsius pacti fundamentalis laesionem constituere 1).

Hae laesiones verum tam agendo quam omittendo fieri posse videntur 2). Dicat fortasse quis in art. 75 vocem *daden* solas spectare actiones et omissiones excludere, et revera fatendum propriam illius vocabuli significationem hanc tueri sententiam, quod praeterea confirmatur vocibus *daarstelling, uitvoering, medegewerkt*, quae omnes positivam habent vim.

Ad quamnam vero absurditatem hoc modo ducamur, nemo non videt; ita v. c. *administer*, qui tempore pacis foedus, quo pars ditionis patriae peregrinis tradatur, subscribit, quin ordinum ratihabitionem rogaverit, non esset puniendus, quamquam manifestum art. 57 L. J. esse violatum. An hoc ferri potest? annon, si haec explicatio vera, lex fit absurda? an ita anxie verbis haerendum?

Non credo et dico: Quoties oratio ambigua est, potius ita explicanda, ut effectum habeat. Oratio enim ambigua est; vocibus, *daden* . . . . *daarstelling* . . . . *uitvoering* . . . . *medegewerkt*, his omnibus oppono sequentia haec *geschonden of niet opgevolgd zijn*; horum enim alterum ad actionis, alterum ad omissionis delicta trahenda.

1) Mohl p. 110 sqq. distinctionem quandam introducit inter leges et statuta, quae quamquam non L. J. pars, perinde tamen ac si ejus pars essent, defendi debent, et eas, quae huc non pertinent. Priorum ut aequum, extraordinario, posteriorum ordinario judicio submittit laesiones. Annon tamen haec distinctio subtilior, quae applicari possit.

2) Cf. Thorbecke ad h. l.

Quae enim, si vox *daden* non etiam spectat omissionis delicta, est vis verborum *niet opvolgen* 1)? et quomodo, qui arctiorem defendunt explicationem, difficultates inde profluentes evitant 2)?

Cum igitur semper naturali verborum significationi vis sit faciendâ, potius ita legem intelligamus, ut effectum habeat, quam ita, ut prorsus absurda fiat 3).

Fatendum tamen, quemadmodum hodie apud nos res ordinata, administrum non facile ob omissionis delictum in iudicium vocari posse; leges enim, proprie ita dictae, non nisi rarissime administrum, cui eam explendi munus est mandatum, designant, quippe quae non ab administro, sed a solo Regis cancellatui praeposito subscribantur 4). Annon tamen lex de administris in jus vocandis, cujus rationem habet art. 77 L. J., jubere potest in futurum leges etiam ab administro esse subscribendas, cui subscriptioni non ea vis tribuenda esset, ut legem cum L. J. convenire affirmaret, sed ut pateret, cuinam administro ejus explendae cura esset commissa 5).

1) In novo Cod. Poen. Bat. I. tit. I. art. 1 dicitur quoque *Misdrijf bestaat in het doen of laten*. In voce *misdrijf* tamen, ut in *bedrijven*, ut in *daden* positiva adest vis.

2) Cf. Thorbecke ad h. l.

3) Cf. hac de re Mohl p. 153 sqq. et Rotteck, I. l. Leges etiam fund., quae ut v. c. Franc. an. 1799 administrum, quod leges non perfecerint, accusari posse constituunt, idem defendunt principium (const. an. 1799 art. 72: *Les ministres sont responsables* 1<sup>o</sup>. . . . 2<sup>o</sup> de l'exécution des lois et des réglemens d'administration publique, 3<sup>o</sup>. . . .).

Accusationes etiam anno 1386 contra M. de la Pole Cancellarium et 1640 contra Finchium institutae huc pertinent. Cf. Mohl, p. 607 sqq. p. 642 sqq. et etiam *Regtsgelcerd Bijblad* an. 1843, p. 34.

4) Cf. quae supra in hujus cap. parte priori p. 22 sqq. de hoc officiali animadvertimus.

5) Recte enim V. Cl. Thorbecke: *de overeenstemming der wet met de*

Praeterea non modo ipsius administri actiones sed etiam, quae ab aliis sunt peractae, ab eo vero non sunt impeditae, locum dare possunt actioni, ut ita dicam Ministeriali, i. e. vi art. 75 L. J. institutae. Hoc vero non ita intelligendum esse, ut omnium rationes reddere debeat, sed solummodo earum, quarum gnarus factus sit administer, unusquisque videt; quatenus ignorantia excusationi esse possit, lex accuratius definire debet 1).

Quisnam vero culpae gradus requiritur, ad actionem ex art. 75 instituendam? Lex Imp. hujus rei nullam facit mentionem, unde legislatori hac in re maxima relicta est libertas.

Apud eas gentes, quae universè magistratus ob negligentiam in jus vocari posse constituerunt, nullum videtur dubium, quin hoc etiam de administris dicendum, et hoc imprimis de nostratibus verum, qui in novo Cod. Poen. in delictis, proprie ita dictis, etiam a privatis committendis solam culpam sine dolo sufficere statuerunt 2). Quomodo praeterea culpa et negligentia ferri possent in eo, qui summis rebus praepositus, cardo est, circa quem omnia vertunt 3)?

Multo verum difficilior est quaestio, an etiam intelligentiae error locum det persecutioni ex art. 75 L. J. Admi-

*Grandwet door ministeriële onderteekening te laten verzekeren, dit komt niet te pas*, l. l. p. 200.

1) Hoc enim prorsus a necessitudine inter administros et inferiores pendet et a rationum illis reddendarum, quae his incumbit, obligatione; quod argumentum, ad jus, ut ita dicam, administrativum, pertinet, non est hujus loci.

2) Cf. art. 4 l. houdende den eersten titel van het eerste boek van het *Wetboek van Strafrecht*, St. B. 1840 no. 20.

3) Cf. *Weekblad van het Regt*, no. 341 specimen an. 1842 ideo reprehendens, quod in administris dolum malum requirat; contraria tamen sententia probatur in *Rechtsgeleerd Bijblad*, l. l. 10.

nister, qui, omnibus rite perpensis, ita agit, ut lex sibi poscere videtur, in iudicium poenale vocaretur, et poena afficeretur, ob delictum in eo solo constans, quod ordines generales et S. S. legibus aliam tribuunt interpretationem? Annon hoc omni justitiae moralis praecepto contrarium? et tamen.

Arcte cohaeret haec quaestio cum altera illa notissima, nostris diebus saepe agitata, quae per totum jus publicum quam maximam habet vim. Habentne iudices facultatem, aut potius subeuntne obligationem dijudicandi, an et quatenus convenient leges (haec vox et leges proprie ita dictas, et decreta regia, et statuta provincialia et municipiorum, immo et, quae ab ad aggeres curandos institutis collegiis promulgantur, comprehendit) cum legibus, vel fundamentalibus, vel aliis 1).

Non hicce est locus, quo de industria hanc quaestionem tractemus, sed animadvertendum, nisi iudicia hanc obligationem subeant, nullum superesse remedium contra eas L. J. laesiones, quae ab administro b. f. perficiantur, nisi hac cautione adhibita.

De quaestione, an hanc obligationem subeant iudices, egit inter alios J. D. Meijer in opusculo: *Over eenen provisioneelen Hoogen Raad* an. 1842 rursus edito, imp. p. 63-

1) Miratur quis fortasse, quod de statutis provincialibus, municipiorum et aliorum collegiorum in textu enumeratorum administrum respondere debere statuamus. Statuta vero provincialia a Rege, i. e. subscribente administro, probari debent (art. 144 et 147 L. F.), et cetera cum ordinibus communicanda, (art. 153 eod.) et a provinciae praeside ad administrum transmittenda, qui, ut Rex iis vim denegat, curare debet, quod nisi faciant administer aut praeses, res ipsorum est periculo. Coniungenda tamen cum his sunt, quae infra de necessitudine inter administratorum et provinciarum praesidum rationum reddendarum obligationem animadvertimus.



76. Animadvertendum tamen art. 75 et 76 L. J., qui, ut art. 175 effectum habeat, efficiunt, anno demum 1840 in nostram legem Imp. esse introductos, qui art. in hac quaestione non levem habent vim. Sine dubio fatendum potestati judicatrici esse mandatum curare pactum populum inter et Principem incolome servari, et ideo hanc potestatem eodem gradu, quo ceteras, esse debere. An tamen non defendi potest, hanc curam, quod ad nostram attinet quaestionem, pertinere ad illam potestatem judicatricem extraordinariam (ut saepe locuti sumus) ex S. S. et ordinibus generalibus constantem, quae art. 175 L. J. est introducta? quidquid sit; non facile quis potestatem dijudicandi, utrum lex aut decretum regium cum L. J. conveniat, necne, iudici concedens evitabit potestatem judicatricem supra alias potestates extollere, quam objectionem refutare conatus quidem est Meijer l. l. p. 71, an recte necne judicent alii.

Ejusdem sententiae est V. Amp. v. Sonsbeeck in opere *Over de zelfstandigheid en onafhankelijkheid der regterlijke magt*. Institutis tribus potestatibus, aequali potestate praeditis, addito principio omnem auctoritatem e civium voluntate proficisci, inde sequi contendit, singulas potestates, quae ab aliis perficiantur, an rerum statui convenient, inquirere posse. Annontamen ex eo, quod aequali auctoritate praeditae sint diversae potestates, potius deducendum esset, aliam aliarum actus probare, et quatenus penes eam sit, tueri debere? secundum sententiam enim a V. Amp. emissam fieri posset, ut potestas legifera legem quamdam ferret, judicia eam, quippe quae cum L. J. pugnaret, applicare nollent, et praeterea potestas executrix, haec sententia judicialis, quippe quae legi contraria, quominus effectum haberet, impediret. An hoc modo salutis publicae provisum esset?

Quod ad jus poenale attinet, hanc quaestionem etiam attingit V. Cons. de Bosch Kemper, in Op. saepius jam cit. I, p. 15 sqq. Facultatem illam, quod ad leges proprie ita dictas attinet, penes judicem non esse judicat; quod verum attinet ad decreta regia et statuta legislativa supra enumerata, eum illa frui contendit, et quidem, quia concilia municipalia aliquid statuere quidem possunt (art. 153 L. J.), sed non habent facultatem haec statuta sanctione poenali firmandi; ad poenam imponendam enim opus est lege (art. 1 Cod. Qu. Crim.), quo consilio lata est lex d. 6 m. Mart. an. 1818. Si igitur quis ad poenam quaecunque condemnatur, quod contra statutum municipale peccavit, condemnatur vi illius legis, quae vero poenas contra statuta municipalia transgredientes quidem statuit, sed solummodo si secundum art. 153 L. J. sunt confecta (*overeenkomstig en op den voet van het 155* (nunc art. 153) *artikel der Grondwet*).

Hactenus de Bosch Kemper; secundum ejus sententiam igitur potestas judicialis proprie hac facultate non gaudet, sed eam consecuta est lege an. 1818. Nihil dicemus de difficultate tantam vim in re tam magni momenti soli verborum formulae tribuendi, sed: aut habent hanc facultatem ex lege nostra fundamentali judicia, aut eam non habent; si prius verum, nulla distinctio facienda inter leges proprie ita dictas et inferiora statuta (lex fundamentalis enim non distinguit), si posterior contra sententia probanda, statuta provincialia et municipiorum et decreta regia per se vim habent, a iudice applicanda sunt, et actus legislatorius, istam facultatem judiciis tribuens, contrarius esset iuribus ex art. 72, 144 et 153 L. J. Regi, ordinibus provincialibus et municipiorum collegiis competentibus. Legi an. 1818 h. l. tanta vis tribui non potest.

Quaenam vero est vis sententiae judicialis? Posita vide

tur in fictione: *Praetor jus dicit, quamvis summa sit injuria*; haec fictio ita in rerum natura est, ut *L. J.* ejus nullam faciat mentionem, annon tamen aliam fictionem praeterea eodem jure adesse potest defendi? eam dico *legislatorem facere legem*. Haec si adest, potestas judicatrix leges, potestas exsecutrix sententias judiciales tuebuntur, et, ut vim habeant, curabunt. Ne vero hoc modo, quam maxima diversitas actuum legislatoriorum inter se pugnantium oriatur, curare debet Rex, cui omnes abrogandi est facultas (art. 147 et 153 *L. J.*); ne etiam hoc modo auctoritate sua abutatur potestas exsecutrix, et pacto fundamentali ne laesio afferatur, curare debet potestas illa judicialis extraordinaria ex art. 175 *L. J.* originem ducens, cui ad hoc curandum facultas adesse videtur. Decreta enim regia subscribere debet administer, ordinum provincialium edicta Regis approbatione egent, quae ut fiat, requiritur administri subscriptio, statuta municipiorum cum ordinum collegio communicari debent, eaque a provinciae praeside ad administros dimittuntur, aut non dimittuntur; in priori hypothesisi res administri est periculo, contra quem, si statutum non abrogat, quamquam cum *L. J.* pugnet, persecutio poenalis institui potest; in posteriori contra ipse praeses periculum suscipit, et in utraque causa pertinebit ad *S. S.* et ordinum generalium consensus necessarius erit. Quod verum ad ipsas leges attingit, dicendum idem munimentum, ne contra *L. J.* pugnent, adesse quidem, sed nullam habere vim, nam ordines non facile consentient ad actionem poenalem instituendam ob actum legislatorium, cujus ipsi participes fuerint. An tamen necesse est, ut provideatur, ne lex (proprie ita dicta) contra *L. J.* pugnet? Potestne hoc ordinum religioni relinqui?

Hoc modo omnia inter se cohaerent, singulae potestates

auctoritatis suae fines non transeunt; omnes inter se pares sunt, et nulla supra alias extollitur.

Sed ad argumentum nostrum redeamus; an conatus et societas delinquendi in delictis ab administris, quasi talibus, commissis punienda? Administris enim ob rerum naturam fere nunquam facta concreta committent, contra quae lex poenam statuit, sed inferiores ea perficere jubebunt; jubendo igitur actu non legitimo jam perpetratum videtur delictum ministeriale; conatus igitur ejusmodi delictum constaret in suadendo aut aliis administris, aut ipsi Regi, ut viam inirent cum legum indole pugnantem, quin tamen iis persuasum esset.

Hanc significationem si verbo *conatus* tribuimus, contra eum nullam poenam statuendam censemus.

Idem dicendum de societate, quatenus haec non in ipso delinquendi actu, sed in suadendo, ut delinquatur, constat. Duobus enim administris idem decretum subsignantibus, singuli sine dubio tenentur, sed altero in administrorum concilio alteri persuadente, ut decreto cuidam nomen apponat, is solus in iudicium vocandus videtur, qui revera contra leges egerit, i. e. qui nominis subscriptione decreto vim dedit.

Ratio in promptu. Quod ad conatum enim attinet, (eo sensu, quem h. l. huic voci tribuimus) per eum nulla juris laesio locum habet, pactum fundamentale incolume servatum, et corpus delicti, ut ita dicam, nullum adest, nisi consilium quoddam, fortasse b. f. emissum.

Necessario igitur, ne totum hoc institutum corrumpatur, non requiritur etiam contra delinquendi conatum poenam statui. Ne igitur praeter necessitatem ejus fines extendamus; jam nimis multa non satis accurate definita attingit.

Idem fere ad delinquendi societatem pertinet; laesionem

juris ipse, qui subscripsit, luit; cur praeterea in hanc litem alius traheretur? fortasse vir honestus, ad administrationem aptissimus.

Animadvertendum praeterea, ne quis istiusmodi legem societati periculosam fore credat, hunc conatum et hanc societatem omnino legi poenali obnoxia esse, simulac cum alio quocunque delicto communi cohaereant 1).

Quam periculosum sit ob istiusmodi conatum actionem institui posse, nos docet historia Anglica; cum enim an. 1667 accusatio inferretur contra Magno-Cancellarium Clarendon, ea praeter alia etiam hoc continebat: eum Regi suasisse, ut dissoluto parlamento vi perpetui exercitus regnaret 2).

Paucis mensibus enim ante, cum classis Batava, ducibus de Ruijter et v. Gent, naves Anglicas combureret, et expeditionem illam faceret, quae tandem bello maritimo illi finem imposuit, Clarendon in concilio deliberante, an parlamentum convocaretur, opinionem emiserat id non esse faciendum, sed Regem propria auctoritate colligere debere exercitum, ad quem sustinendum eae provinciae, in quibus collocaretur, annonas, et ceterae pecuniam conferrent, quae cum tributis compensaretur 3).

His verbis cum accusatione collatis, patet, quantopere partium studium ea mutaverit; de ceteris contra eum allatis nihil dicimus, Clarendon defendere nolumus, sed solummodo ideo hujus rei mentionem facimus, ut pateat, quo

1) Cf. quae infra de necessitudine ordinariam inter legislationem poenam et hanc dicemus.

2) Cf. Mohl, p. 654 sqq. et Hallam II, p. 271: *That the earl of Clarendon hath designed a standing army to be raised, and to govern the Kingdom thereby, and advised the King to dissolve this present parliament.*

3) Cf. Hallam l. l.

ducat nudi consilii causa sine ullo facto concreto actionis instituendae facultas 1).

Tandem animadvertendum laesionem juris necessario requiri; quod contra commodo s. civitatis, s. privatorum nocuerit, id sufficere non videtur 2).

Jam satis accurate, quod delictum constituere potest, expositum; in lege igitur, quam confici jubet art. 77 L. J., ad delicta ministerialia trahendae videntur omnes L. J. et ceterarum legum laesiones, quae jura et obligationes populum inter et Principem spectant, sive agendo sive omitendo, dolo malo, culpa et per ignorantiam fortasse etiam per intelligentiae errorem, ab administris commissae, aut non impeditae, quae praeterea ab ipso accusato debent esse perpetratae, et juris laesionem constituere.

Quaenam vero illius legis debet esse forma? An singulorum casuum, qui in definitione nostra comprehenduntur, enumerationem continere debet 3)?

Sine dubio optandum esset, ut talis enumeratio fieri posset, et quia contra administrum accusatio semper animos praeter modum perturbabit, partiumque studium facile excitabit, quod etiam in iudices vim suam exercebit, et etiam quia,

1) Mohl Op. I. p. 153 et 160, tam ob perpetrata quam ob inchoata ut actio institui possit, vult; itemque contra nudum consilium poenam esse statuendam censet. Quod verum ad conatum attinet, illo loco aliam huic verbo tribuit significationem.

2) Cf. Mohl, p. 150 sqq.; qui ne ob damnum ex pigritia aut ignorantia oriens quidem actionem instituendam esse censet, p. 152 not.; nihil verum impedit, quominus in hac positione iisdem teneatur administrator legibus, quibus et alii officiales tenentur, qui in munere gerendo negligenter se gerunt.

3) Cf. de hac quaestione Mohl, p. 127 sqq.; Benj. Constant in opusculo cit. (*Cours de pol. const.* p. 86 sqq.), v. Rotteck (Aretin. Op. I.) p. 217.

cum in civitate nostra, ut in plerisque civium libertatem et securitatem legibus fundamentalibus firmantibus, quam accuratissima delictorum enumeratio et singularum notarum descriptio requiratur, nulla adest ratio, ob quam administer non etiam praesidio hocce fruatur. Fatendum tamen ejusmodi enumerationem non facile lege sanciri posse; an quis enim omnes modos, quibus jura populi aut Principis laesione affici possint, quibus leges negligantur, aut omittantur, enumeraret? Recte omnino V. Cl. Thorbecke 1): *Hoe meer bijzondere vormen van ministerieel misdrijf de wet optelde, des te onvollediger zoude zij wezen* 2).

Cur praeterea imprimis desideratur accurata illa singulorum delictorum eorumque notarum descriptio? Imprimis ideo, ut etiam poena accurate definiatur, quod tamen non facile in delictis ministerialibus fiet. Videmus enim, quam diversi culpaee gradus adesse possint, quam ob rem hac in re quam maxima latitudo judici concedenda videtur 3).

Haec omnia eo ducunt, ut cum primariis hac de re auctoribus legem de administris in jus vocandis nonnisi generalem totius rei ambitus descriptionem continere debere statuamus; ne vero hoc modo nimis severa fiat haec lex, tribus modis providendum; sc. poenarum, quas statuit, natura, formarum, quibus circumdatur inquisitio, praesidio, et imprimis judici, quod sententiam ferre debet, constitutione.

Antea vero quam de his agamus, videndum, an etiam alii sint officiales huic legi subjiendi.

Primo loco in censum veniunt ordinibus generalibus ad-

1) Aanteekening ad h. l.

2) Benj. Constant, p. 37: *Si chacune de ces manières de nuire à l'état devait être indiquée par une loi, le code de la responsabilité deviendrait un traité d'histoire et de politique, et encore ses dispositions n'atteindraient que le passé.*

3) Cf. Mohl, B. Constant v. Rotteck, l. l.

scripti 1); an hi, quod ad rationes reddendas attinet, huc referendi? Quaestione per se solam spectata, nullius juris positivi ratione habita, in utramque partem disputari potest. „Ordines generales” dicat quis, „libere munus gerant, necesse est; nullum mandatum ab electoribus accipiunt, ideo nullam aliam agendi normam habent, nisi rectae rationis praecepta, juncto jurejurando, quod in munere adeundo jurarunt; ordines praeterea saepe, ut officiis suis bene fungantur, iis, qui rebus praesunt, se opponere debent, odium et inimicitias potentium in se excitabunt, liberi igitur esse debent ab omni metu, ne, quod in munere gerendo peragant, in iudicium contra se adducatur; haec omnia in ministris non adsunt, et praeterea hi in jus vocantur ob potestatem male adhibitam, quod in ordinibus secus; singuli enim socii nullam habent potestatem, quae pertinet ad totum concilium.” Sunt etiam, qui in iis civitatibus, in quibus Rex concilium legislatorium dissolvendi habet facultatem, ejusmodi rationum reddendarum obligationem, quod ad ordines attinet, non requiri censeant, quum dissolvendi facultate Rex concilium potestatis limites transgrediens coercere possit 2).

Quod ad contrariam attinet sententiam, negari non potest pactum fundamentale tam ab ordinibus quam ab ministris violari posse; idque etiam contra populi insidias tuendum esse; ne hoc modo ordines impediuntur, quomi-

1) Cf., quae supra p. 11 not. 2 adnotavimus, et Mohl et Aretin ibi laud.

2) Hujus sententiae est v. Rotteck l. l. Neque negari potest ministrorum in jus vocandorum instituto facile careri posse, si populo eos removendi concessa esset facultas, quae cum, quod ad ordines attinet, penes Regem sit, ejusmodi praesidium non ita necessarium videtur.



nus libere suffragium ferant, caveri potest formis, quibus inquisitio circumdanda; nullum, fatendum quidem, peculiare mandatum acceperunt, sed non ideo omni norma carent; habent enim Legem Imp., quam sequantur, eamque si laesione afficiunt, munere non bene funguntur.

Praeterea quod attinet ad concilii legislatorii dissolutionem, haec facultas valet fortasse ad socios obnoxios removendos, non ad puniendos, et quaenam ejus est utilitas, populo cum delegatis removendis eandem probante opinionem?

Utraque sententia igitur defendi potest; neque jus nostrum difficultates removit. Sint quidem conciliorum socii ob ea, quae in munere gerendo perpetraverint, legi poenali obnoxii, et nonnulli ex iis accusentur. Opus erit ipsius concilii consensu, et nunc alterutrum locum habebit; aut major numerus accusati sententiam probabit, quo casu consensus denegabitur, aut is concedetur quidem, et actio instituetur, sed quamnam utilitatem hoc afferet? nullam enim vim socius accusandus exercebit, semper majores numeros sibi oppositos videbit. Si igitur in nostro jure ordines in iudicium vocari possunt, hoc non facile effectum habebit institutum, nisi non sit necessarium.

Negari tamen contra nequit, si etiam hoc praesidio caret potestas executrix, cum et etiam ordinum concilia dissolvendi careat facultate, eam se ipsam defendere fere non posse 1).

Praeter ordines nominandi hic sunt status-conciliarii; an hi ad rationes reddendas obstringi possunt? Quod ad concilium status attinet ordinarium, de quo loquuntur art.

1) Cf. de hac quaestione Groen v. Prinsteren, *Bijdragen tot Herziening der Grondwet* an. 1840 p. 106.

70 sqq. L. J., negandum videtur. Quenam enim est ejus obligationis vis? sine dubio, ut adsit cautio, ne potestas publice concessa male adhibeatur, et hic si est ejus finis, ad eos magistratus, qui nullam exercent potestatem, pertinere non potest. Si igitur conciliarii status ea teneantur, hoc ex alia causa repetendum, quae nulla esse potest, nisi ut deterreantur persecutionis metu ab emittendo opiniones cum L. J. pugnantes.

Ne vero hoc faciant, jam obstricti sunt jurejurando: causae ad id negligendum, quae in administris locum habent, in status-conciliariis non adsunt; praeterea Rege concilii opinionem sequente, administer tenetur, et contra, si hoc factum non est, speciem induit res conatus, qualem in administris puniendum non esse supra ostendimus; conciliariorum igitur rationes reddendi obligatio inutilis esset, et omnino multis nominibus similis delinquendi inter administratos societati, cujus in lege nullam rationem esse habendam contendimus.

An vero idem dicendum de concilio status, de quo sermo est in art. 48 Leg. Imp.?

Si enim, aut ad successionem regia stirps deficiat, aut Rege minore desit, qui ejus munere fungatur; si quoque, Rege ob qualemcunque causam non apto ad regnandum, princeps Arausiacus nondum habeat annum 18 completum, auctoritatem regiam exercet concilium status adjunctis administris 1).

Quinam sunt auctoritatis huic collegio concessae fines? Idem ejus sunt fines, qui sunt verae regiae potestatis, paucis solummodo exceptis; in successore enim aut interrege

1) Cf. art. 45, 48, 26 et 43 L. J.

nominando, et in tutelae aut curae Regis providendo, ut et in conventum constituendo Ordines soli agunt, nullo modo concilio interveniente. Quaecunque sit harum exceptionum causa, sive L. J. auctorum negligentiae imputandae sint 1), sive haec eorum fuerit voluntas, animadvertendum eas in iis ipsis casibus adesse, qui auctoritati concilii finem imponunt 2).

Hisce exceptis iidem sunt auctoritatis concilii et verae regiae potestatis fines. An ejus rationes reddere debent? an ideo in iudicium vocari possunt? quaenam est hujus obligationis vis in administratos?

Regis immunitas personale est privilegium, quod adesse non potest, nisi, qui eo fruitur, in opinione publica praestantia quadam, ut ita dicam, divina sit circumdatus; praeterea in bonum publicum institutum, ut conatus ad Regem dejiciendum, si non prorsus eos excludat, tamen quam difficillimos reddat; horum neutrum in concilio adest, quod igitur si immunitate gauderet, aliis rationibus hoc institutum niti deberet. Hae vero non adsunt; quae enim, ut de ordinibus dubitemus, efficiunt, maxima pro parte in concilio status regiam exercente potestatem desunt.

Dicendum igitur videtur status-conciliarios rationes red-

1) Secuti enim videntur specimen legis Imp. a. V. Amp. v. Hogen-dorp conscriptum, ratione non habita mutationis, quam auctoritatis regiae ad interim concilio status delatio introduxerat; cf. Thorbecke ad art. 45.

2) Non tamen inde deducendum, hoc voluisse legislatorem, nam in hac hypothesisi ne ordines convocare quidem concilio relinquendum fuisset, et praeterea haec causa non explicat exceptionem, quae in tutelae et curae Regis providendo locum habet; hujus rei enim concilium tute particeps esse potest; ceterum exemplum istiusmodi concilii auctoritatem regiam exercentis praebuit anno 1810 administratorum Ludovici Napoleontis concilium; cf. decret. abdicationis.

dere debere potestatis, quam vi art. 45 et aliorum L. J. exercent, et, hoc modo si res constituta, intelligitur, quid velit L. J. ad eos accusandos consensum ordinum desiderans. Eadem enim rationes, quae huic instituto in administratorum causis locum dederunt, etiam in his adsunt. Administer e. g. decretum regium subscripsit cum L. J. plane pugnans, sed tamen ideo nulla actio instituetur, nam ordines actum non legitimum ob temporum difficultates aliamve qualemcunque ob causam probabunt, adestne hoc eodem modo in status-conciliario, actum non legitimum qui decreverit? 1) Aut, ut aliud afferamus exemplum, judicia inter et potestatem executricem dissensus oritur de hujus ambitu; administer vero hujus rei causa in iudicium deductus accusari nequit, nisi consentientibus ordinibus; talis enim lis ut decisionem accipiat, L. J. et judiciatricis potestatis et populi delegatorum in unum convenientes sententias desiderat. Annon hoc eadem vi in concilii status socio adest?

Rationes reddentibus conciliariis, quid dicendum de eadem obligatione administris incumbente? Posset enim quis defendere, quum Regis immunitas cessarit, hos etiam non amplius in iudicium deducendos esse, quum horum obligatio ex hac immunitate originem duxerit, et fatendum eam revera, auctoritatem regiam exercentibus conciliariis, qui in iudicium vocari possunt, non ejusdem esse necessitatis; sed animadvertendum hanc administratorum obligationem propter Regis immunitatem necessariam quidem fieri, non vero inde originem ducere; eam enim non esse fictionem, quae

1) Cf. quae supra p. 37 sqq. de vi ordinum consensui tribuenda animadvertimus; ostendimus enim ibi hac in re haec duo inquirere debere ordines, an actus, ob quem consensus rogatur, non sit legitimus, et an fortasse ob temporum difficultates excusari possit.

administris onus culpaë regiae imponat, sed nihil aliud nisi obligationem unicuique incumbentem priorum actuum rationes reddendi, quae obligatio in persona solius Regis exceptionem patiatur 1). Ex eo igitur, quod in nostra hypothesis auctoritas regia penes concilium status est, solummodo sequeretur, rationes politicae si hoc suaderent, administris illa obligatione liberari posse, quemadmodum de ordinibus defendi potest; hae vero rationes an adsunt? Contrarium potius dicendum, nam tempora, quibus concilium auctoritatem regiam exercet, non fore perquieta cogitari potest, et quo magis illi officiales, qui pro parte Regis funguntur munere 2), et praeterea omni ministeriali potestate sunt praediti, ad rationes reddendas sunt obstricti, eo minus metuendum, ne incerto rerum statu abutantur.

Art. 135 Leg. Imp. sic audit: *De Koning stelt in alle provinciën commissarissen aan onder zulke benaming, als hij goetvindt, en op zoodanige instructiën, als hij tot de rigtige uitvoering der wetten, tot de waarneming van het belang van den lande en van de provincie noodig oordeelt.*

*Deze commissarissen zitten voor in de vergadering der staten en in die der gedeputeerde staten volgens art. 151 te benoemen.*

*Zij doen bij hunne aanstelling den eed van getrouwheid aan de Grondwet.*

Hoc art. instituuntur, munusque describitur eorum, qui in art. 175 L. J. commissarissen van den Koning in de provinciën dicuntur, ad quos ob delictum in munere gerendo

1) Idem respondendum iis, qui in administris animadvertendum non esse ob ea, quae Regis expulsionem ansam praebuerint, contendunt; cf. Mohl p. 214-216; idem allatum in Francia ad defendendos Caroli X administris; eod. p. 709.

2) Ipsius enim concilii participes sunt, art. 45 L. J.

commissum persequendos opus etiam est ordinum consensu.

Quae est muneris iis commissi natura? quaenam rationes iis reddendae? An lex, qualem in administratos necessariam esse ostendimus, etiam in hos requiritur? De his quaestionibus nunc agendum.

Duplex eorum munus, cujus primae lineae in singulis art. 135 partibus descriptae; in provinciis locum tenent Regis, et quatenus potestati executrici praeest, et quatenus potestatis legiferae est particeps. Quod ad priorem partem pertinet, sequi debent mandatum, quod Rex iis dedit; in posteriori contra ratio iis est habenda statutorum secundum art. 150 ab ordinibus provincialibus, probante Rege, conficiendorum; hoc ex ipsa rerum natura jam sequitur, nam quomodo quis cogitare potest legem voluisse, ut ordines ipsi haec statuta conficerent, et tamen multa, quam maximi fortasse momenti, peragerentur modo, in quo constituendo nullam auctoritatem exercuissent 1). Praeterea aliud argumentum ipse verborum contextus praebet, mandatum enim statuendi facultatem spectant verba: *als hij*..... quae trahi non possunt ad alia in alin. seq. dicta 2).

Hoc vero discrimen non observavit mandatum d. 15 m. Dec. an. 1820, quod in tit. II agit de obligationibus Gubernatorum ea, quae specialiter iis sunt demandata, spectantibus, et in tit. III de iis, quae proprie ordinum praesidi incumbunt.

1) Exemplo est art. 41 mandati (*Instructie voor de Gouverneurs in de Provinciën*), qui praesidibus facultatem concedit ex propria auctoritate alicui rei, proprie ad ordines pertinenti, providendi, si modo magna celeritate opus est. Utilitatem, immo necessitatem, ejusmodi dispositionis non negamus, sed ab ipsis ordinibus, non a Rege ea constituta esse deberet.

2) Cf. Thorbecke, l. l. II. p. 57.

Sunt igitur Gubernatores primo loco potestatis exsecutricis in provinciis vicarii, quod administri legibus executioni mandandis per totum faciunt regnum, perficiunt Gubernatores in singulis provinciis. Multas tamen hujus rei esse exceptiones tenendum, ita v. c. quae religionem spectant aut curam pauperum, aliaque a L. J. ipsis ordinibus provincialibus demandantur, quae deinde Regi facultatem concedit etiam alia iis relinquendi 1); praeterea ob rerum naturam, quae cum exteris spectant communicationem, non facile ad Gubernatores pertinent; sed haec et aliae exceptiones non impediunt, quominus generaliter dici possint Gubernatores potestatis exsecutricis vicarii.

Eos eodem modo, quo alios officiales, rationes reddere debere potestatis iis demandatae per se patet, sed sequenda iis sunt, quae a superioribus accipiunt mandata, ita ut nullo modo ad rationes reddendas obstringuntur eorum, quae distincte jubentibus administris peregerint (art. 114 al. 2 servato); in eo igitur Gubernatorum status differt ab eorum, qui partibus regiminis generalis sunt praepositi, quod hi nunquam superioris jussa invocare possunt, cum hoc illis licet.

Ceteroquin rationes reddere debent provinciarum praesides de legum exsecutione, quatenus haec iis est commissa 2), i. e. fere omnium 2), et praeterea mandatum hanc obligatio-

1) Art. 143 L. J. Haec enim art. illius videtur esse significatio ut eorum, quae nominatim enumerata sunt, exsecutio per se penes ordines esse debeat, aliorum contra iis mandari possit; cf. V. Cl. Thorbecke ad hunc locum.

2) Art. 15 al. 1 Mand. d. 15 m. Dec. an. 1820: *Aan de gouverneurs is in het algemeen opgedragen, het toezigt op de rigtige uitvoering van alle wetten, reglementen en verordeningen, die op hoog gezag zijn of verder zullen worden uitgevaardigd, en inzonderheid mede op de naauwkeurige inachtneming van alle bij de Grondwet gemaakte bepalingen.*

nem extendit quoque ad omnia qualiacunque etiam ad illa, quae proprie ad ipsos ord. prov. 1) pertinent; tandem hic trahenda actuum provincialium et municipalium cum superioribus legibus (lato sensu) convenientia. Actus ordinum enim duplicis sunt generis; aut prorsus sunt legislatorii (art. 144 L. J.), aut ad executionem pertinent (art. 143 L. J.); prioris generis actus a rege probari debent, horumque igitur rationes ab ipso administro reddendae; posterioris contra generis qui sunt, per se vim habent, quos exsequendi proprio periculo, aut ad tempus iis vim dene-gandi et cum Rege communicandi, qui de iis statuatur, obligationem art. 27 mand. imponit Gubernatoribus, quod eodem modo art. 28 de municipiorum statutis constitutum.

His de duobus capitibus Gubernatores rationes reddere debent, ceterae enim, quae in tit. II mand. leguntur, dispositiones, aut ad haec duo referri possunt 2), aut prorsus continent non nisi ejusmodi praecepta, quae superiores semper inferioribus mandant 3), aut eas iis concedunt facultates, quae, ut munus bene gerant, necessariae 4). Obliga-

1) Art. 16 eod. eos non modo curare, quae iis specialiter sint commissa, sed etiam ea, quae ad ordines proprie pertineant, jubet. Utitur hic art. loquendi forma: *alleen en persoonlijk verantwoordelijk*; quomodo vero Gubernator solus rationes reddere potest eorum, quae ab ordinibus peragenda sunt? Hoc si ei incumbit, etiam rem suo periculo, nulla ordinum statutorum ratione habita, peragendi ei concedi debet facultas; num hoc vero cum art. 143 L. J. consentaneum esset. Quod ad pravam executionem attinet, art. 147 L. J. j. art. 27 Mand. fortasse sufficit, sed hi art. nullam habent vim, si non modo non prava executio, sed omnino nulla adest. Cf. V. Cl. Thorbecke l. l. p. 83.

2) Art. 21, 22, 23, 25, 29, 33, 34 eod., qui art. iis, ut omnes quoscunque officiales bene munus gerere curent, praescribunt, aut eos ad tempus a munere removendi facultatem concedunt et alia ejusmodi.

3) Art. 24 eod.

4) Art. 17, 18, 19, 20, 29 al. 3, 30, 32 eod.



tiones etiam, quae iis tanquam ordinum, sive provincialium, sive delegatorum, praesidibus incumbunt, non ejus sunt naturae, ut sanctiones poenales contra earum transgressus requirantur 1).

Gubernatoribus igitur eadem, quae administris rationum reddendi obligatio incumbit; illa non magis quam haec accurate definiri potest, necesse igitur videtur legem poenalem, quam in administratos constituendam esse ostendimus, etiam ad hos extendi, ea tamen mutatione introducta, ut invocari possit art. 114 Cod. Poen. al. 2. Utraque imprimis cum variorum institutorum ambitu cohaeret, et cum populi et Principis juribus et obligationibus ex pacto fundamentali profluentibus quam arctissime est conjuncta, in utraque tandem quam facillime excusationes 2) e politico rerum statu orientes adesse possunt, quae tamen ejus sunt naturae, ut earum aestimatio non apte ad judicem demandetur, his omnibus rite perpensis, inter se collatis, et cum iis, quae supra de ordinum consensui tribuenda vi animadvertimus, conjunctis, patet, quid voluerit L. J. hunc consensum ad provinciae praesidem in jus vocandum desiderans.

Hi sunt magistratus, contra quos lex poenalis ita indefinita, non singulorum delictorum, eorumque notarum enumerationem, sed totius ambitus generalem descriptionem continens, statuenda; ne vero hoc modo nimis severa fiat lex, nimis durus horum officialium status, triplici modo providendum esse supra jam animadvertimus, sc. poenarum moderatione, formarum praesidio et ipsius judicii constitutione.

1) Cf. tamen quae infra ad art. 145 et 146, et art. 173 Cod. Poen. de ordinum gen. praeside animadvertimus.

2) Cf. mand. art. 29 et 30,

Formae, quibus utendum, descriptae sunt in Cod. Qu. Crim.; supra jam de iis egimus, et sententiam nostram protulimus 1).

Judicium, quod de hisce causis cognoscat, definitum est ab ipsa L. J.; non magnam ideo vim in hoc exercere potest legislator ordinarius, sed videamus paucis verbis de quaestione, utrum nostrum institutum, quo extraordinaria jurisdictione ordinario delata sit judici, probandum an vituperandum sit.

Nonfacile, nisi fallor, aderit quis, qui ad concilium ordinum superius hanc jurisdictionem pertinere debere defendat, neque aliud quoddam collegium politicum hoc loco in censum venire videtur; optio igitur Legi Imp. tantum erat inter iudices ordinarios et proprium ad hoc institutum collegium. Posterius aut ex solis magistratibus judiciariis, aut ex solis viris politicis constare debet, aut utrumque elementum conjunctum erit, aut tandem ejus socii, non quia unum alterumve munus gerant, ad id nominandi, sed libera optione e toto populo eligendi erunt. Ex solis magistratibus judiciariis collegio constante, eadem ei inhaerebunt incommoda, quae ordinarium iudicium minus aptum ut sit, efficiunt; ex solis viris politicis id compositum esse debere nemo defendet; utroque elemento conjuncto sine dubio incommoda, quae singulis separatim inhaerent, evitari poterunt, sed alia inde nascuntur. Quinam enim erunt viri politici? an concilii superioris socii? sed hi in accusatione prolatorum factorum fere semper quodammodo participes fuerint; an concilii status socii? sed praeter quod eadem animadversio etiam in hos facienda, horum status non est

1) Cf. supra p. 45 sqq.

talis, ut liberi sententiam proferre possint; praeterea quomodo, et a quo designaretur, quinam horum conciliorum socii ad hoc nominarentur; ab administris? a concilio inferiori? an sors hac in re difficultatem removeret? Idem rogandum de iudicio extraordinario per liberam e toto populo electionem constituendo.

Semper peculiari ad hoc instituto collegio hoc inest incommodum, quod collegium, quasi tale, nullo modo aestimatione civium gaudere potest; sufficere enim non videtur singulos socios ea frui. Primarium praeterea vitium ordinario iudicio his de causis sententiam ferenti inhaerens, sc. non satis accurata rerum politicarum scientia, apud nos minoris fit momenti, ob ordinum consensum impetrandum, et alterum illud incommodum iudicem ordinarium non esse aptum ad sententiam ferendam secundum legem ita in definitam, qualem in his causis necessariam esse ostendimus; annon hoc incommodum in omnibus adest extraordinarii collegii sociis in eo elementum iudicarium constituentibus? Non video igitur, cur non haec provincia demandaretur S. S. 1)?

Nunc agendum de poenarum constitutione; quaenam vero poenae contra administrorum aliorumque, de quibus h. l. sermo est, magistratum delicta, ut ea descripsimus, constitui possint, et a totius systematis poenarum natura, et a necessitudine inter hanc et ordinariam legem poenalem pendet.

Delictum enim ministeriale saepe cum alio ordinario, quod etiam a quovis magistratu aut privato committi potest, cohaerabit; ita v. c. non legitimorum vectigalium perceptio saepe concussionis speciem prae se feret, et administer cum patriae hostibus

1) Cf. omnino de tota hac quaestione Mohl Op. I. p. 270-416.

machinans saepe auctoritate sua hoc consilio abutetur (v. c. non colligi curabit exercitum, aut pecuniam publicam ad bellum gerendum concessum in alium finem adhibebit); an jam vero administer communia ista delicta committens punietur vi legis de iis in jus vocandis? sunt ne potius poenae communes contra prodicionem aut concussionem applicandae?

Quantopere ab hujus quaestionis solutione pendeat, poenarum vi illius legis imponendarum definitio, nemo non videt; si enim omnia delicta ab administris commissa, quae spectat lex de iis in jus vocandis, vi ejusdem legis punienda sunt, etiam quam gravissimae poenae in hac lege constituendae; si contra juxta eam ceterae leges poenales vigorem retinent, poenae multo mitiores jam sufficient, nam ordinariae in graviora delicta manent.

Magnopere hac in re differunt theoretici; alii omnia delicta vi legis contra administratos conficiendae puniri jubentes, poenas gravissimas constituunt 1); alii non nisi mitiores probant 2), qui tamen ut commune delictum puniatur, accusatum, jam semel condemnatum, ad ordinaria dimittunt judicia. In priori vero hypothese terribilis fieri videtur potestas judicii extraordinarii; maxima licentia in delicto constituendo utens, praeterea poenas quam gravissimas imponere posset, et haec omnia faciendi ei esset copia sine ulla provocatione? Licet quidem quam optime constitutum sit judicium illud, omniaque contineat utilia ad removendum metum, ne hac stupenda potestate abutatur, tamen abusus cogitari quidem potest, et non ita rejiciendum videtur auxilium, quod ex poenarum moderatione ducere licet.

1) Cf. B. Constant Op. cit. p. 111 sqq., qui tamen Chartae Francicae Praeceptis tenebatur, et Mohl p. 545-567.

2) Cf. v. Rotteck l. l. III, p. 219-221.

Altera igitur sententia praeferenda videtur non nisi mitiores poenas, vi legis de administris in jus vocandis, imponi posse; non verum ideo commune delictum ad ordinaria transferri debet iudicia, nam primo loco hoc non licet per L. J. et praeterea adsunt politicae rationes contra hoc militantes 1), ne loquar de difficultate res tam arcte conjunctas separandi.

Nobis hac de re cogitantibus optime difficultas removeri posse videtur hoc modo: generaliter sequendae videntur regulae, quas nostra legislatio de plurium delictorum concursu praescribit, in quarum applicatione tamen nonnulla observanda sunt.

Administer enim, qui, ut servemus exemplum, quo jam usi sumus, patriam hostibus prodere voluit, capite plecti poterit vi art. 77 Cod. Poen., et ad hoc non semper ordinum consensus necessarius erit, sed si corpus delicti, aut totum, aut pro parte, constat ex iis, quibus leges laesae aut omisae sint, ut locus fiat art. 75 L. J., ordinum consensus impetrandus erit.

Hoc modo si res constituitur, contra maleficia ministerialia, quae et grave delictum constituunt, ea adest poena, qua etiam privata aut, prout res est, minores magistratus tenentur, sed jam vero maleficio quoque delicti notas, quales in lege descriptae sunt, referre debet, quae contra si non adsint, locus est potestati indefinitae iudicii; neque hoc modo irritum fit praescriptum legis, quod ordinum consensum requirit.

Haec si est necessitudo inter legem, quae, ut art 75 L. J.

1) Cf. Mohl Op. laud. p. 548. Lex Imp. Württ. talem continet dispositionem, cf. hac de re ejusdem auctoris: *Staatsrecht des Königr. Württ.* § 129.

effectum capiat, necessaria videtur, et ordinariam legem poenalem, satis mites poenae in illius legis transgressiones jam sufficient; hae vero nunc sunt definiendae.

Jam statim distinguendum, utrum intelligentiae error locum det persecutioni poenali vi art. 75 L. Imp. instituendae, necne. Si posterior vera sententia, sufficere videntur hae duae poenae, admonitio publice in administrum facta, et a munere remotio, quae tamen remotio nullas alias sequelas legitimas habere debet 1).

In priori contra hypothesis optime adhiberi posse videtur facti, quod locum accusationi dedit, publica vituperatio, quin tamen haec administrum ulla macula afficiat.

Quomodo haec vituperatio et admonitio pronuntiari debeant, lex definiat; magna vero solemnitate opus esse animadvertisse sufficiat.

Has vero poenas, ut aequum videtur, applicandi iudicio plenissima debet esse facultas.

Hoc loco huic de administris in jus vocandis disquisitioni finem imponere posse videmur; quaestiones solvere conati sumus quam maximi momenti, et nostris temporibus in patria nostra saepe agitatae; multa, lubenter fatemur, minus apte ordinata sunt, sed metuendum, ne omnis hujus rei consti-

1) Cf. v. Rotteck, l. l. p. 220, reprehensionem, temporariam muneris interdictionem, remotionem, et, si necessaria, modicam carceris poenam proponens; temporariam interdictionem verum minus aptam poenam esse censemus; tempore enim praeterlapso condemnatus suo jure rursus munus adit, sed praeter iudicem semper sententiam feret opinio publica, cujus sententiae ratio habenda erit; haec si administro est inimica, Rex coactus erit eum dimittere, quae res speciem prae se ferret sententiam judicalem corrigendi, quod et in ipsius administri commodum, et in iudicii honorem evitandum; remotio contra non impedit, quominus Rex rursus administrum ad honores nominet, si hoc opinioni, quam dixi, non adversatur.

tuendae modus propriis labore difficultatibus; explicare tentavimus vim, quae ordinum consensui tribuenda est, horumque cum S. S. conjunctionis naturam, et dilucidiora reddere, quae supra de iis animadvertimus; an recte necne, judicent alii.

Inter magistratus, quos lex de Re Judiciali jurisdictioni S. S. submittit, conspicui sunt coloniarum praesides; rerum, quarum rationes reddendi obligatio iis incumbit, diversitas, et similitudo, inde inter administratos et eos oriens, nos movent ad h. l. de iis agendum. In muneris iis commissi naturam inquiramus, necessitudinem eos inter et Principem, adjuncto coloniarum administro, definiamus, ut inde, quasnam rationes reddere debeant, describere conemur, et tandem quomodo, et quatenus a lege poenali hujus rei ratio sit habenda, animadvertamus.

Art. 1 edict. an. 1836 promulgati ad regimen Indiae Neerlandicae ordinandum 1) sic audit: *Het hoogste gezag in Nederlandsch Indie wordt van wege en in naam des Konings uitgeoefend door den Gouverneur Generaal, of dengeen, welke hem, op den voet van dit reglement, tijdelijk mogt vervangen. Een ieder die zich aldaar bevindt, van wat rang of staat hetzij, moet den Gouverneur Generaal, of vervangenden Gouverneur Generaal, erkennen als des Konings vertegenwoordiger, en denzelven als zoodanig eerbiedigen en gehoorzamen.*

Hic art. optime muneris, quod gerit coloniarum praefectus, naturam significat; Regis tenet locum, et nomine Regis summum imperium exercit. Inde sequitur.

1) Hoc edictum legendum in collectione *Bijvoegsel op het St. B.* an. 1836. p. 570 sqq.

1. Gubernator Generalis numquam majore potestate frui potest, quam quae ipsi Regi competit; limites igitur, quibus Rex potestatem suam, quod ad colonias attinet, circumscrip- tam videt, etiam in G. G. potestate adsunt. Regis vero potestas originem ducit ex L. J.; videmus ibi in art. 59 eum solum summa regnandi potestate in coloniis esse praeditum. Non hicce est locus, quo de hujus art. vi disputemus; utrum locutio *bij uitsluiting het opperbestuur hebben* intelligenda sit, perinde ac si potestatem fere non limitatam contulerit, an contra ea nihil contineat, nisi inanem formulam, magniloquentem, ut fatendum, sed revera Regis in coloniis imperium iisdem limitibus definientem, quibus in metropoli sit descriptum.

Quidquid sit, hoc constat, quatenus L. J. praecepta in coloniis vim habeant, Regem iis etiam in his regendis teneri; iis igitur quoque tenentur, qui in coloniis ejus tenent locum i. e. Gubernatores Generales. Cum igitur officiales illi lege fundamentali teneantur, mirandum videtur, quod nulla hujus rei in jurejurando mentio facta 1).

1) Art. 30 edic. cit. (Reglement op 't beleid der regeering in Nederlandsch Indie): *Ik zweer, dat ik om de hooge waardigheid van G. G. over Nederlandsch Indie, welke ik nu aanvaard, te bekomen aan niemand, wie hij ook zij, eenige geschenken of beloften gegeven of gedaan heb, noch geven of doen zal.*

*Dat ik in de uitoefening van die waardigheid, en in die van opperbevelhebber over de zee- en landmagt aldaar, aan Z. M. den Koning der Nederlanden, enz. gehouw en getrouw zal zijn.*

*Dat ik de hooge soevereine regten des Konings en de waardigheid van 't Koningrijk zal bewaren en bevestigen, dat ik het velzijn, de welvaart en de bloei van Ned. Ind. zal voorstaan en behartigen, zonder aanzien van persoon dat ik in het uitoefenen mijner ambtspligten, zoo min aan bedreigingen, als aan beloften, door wie ook gedaan, zal gehoorzamen.*

*Dat ik het reglement op het beleid der regeering en de verdere algemeene of bijzondere instructiën en bevelen, mij door of van wege den Koning gegeven,*



2. Regis acta, decreta, cetera per se vim secundum L. J. non habent; necessaria est, ut valeant, administri, qui ad rationes reddendas in jus vocari possit, subscriptio; haec regula in art. 76 L. J. totidem verbis legenda nullam patitur exceptionem, et etiam in iis decretis, quae colonias spectant, valet; ut haec igitur vim habeant, ejusmodi subscriptio requiritur; inde sequitur antea quam G. G. art. 114 Cod. Poen. al. 2 invocare possit excusationis gratia, ea subscriptione opus esse, et ubicunque in edicto memorato (*Reglement enz.*) sermo sit de Regis jussis 1), hoc intelligendum esse de iis, quae subscripsit administer ei parti regiminis generalis, quae colonias spectat, praepositus.

*Het hoogste gezag. . . . . wordt. . . . . uitgeoefend door den Gouverneur Generaal* ait art. 4 cit. Summum imperium (*hoogste gezag*) comprehendit omnes regiminis partes. Gubernator Generalis loco est Regis, et quemadmodum in patria nostra omnes illae partes, singulae suum habentes praepositum, in Regem confluunt, ita etiam in Coloniis omnibus praest G. G., ratione tamen habita differentiae inter Regem immunitate fruentem et Legatum, cui rationes reddendae.

Gubernatori Generali igitur quae incumbit, rationes reddendi obligatio omnes diversas regiminis partes comprehendit, et quae in patria inter plures administros divisa est, tota huic uni incumbit. Ex his jam patet, si verum, quod supra jam animadvertimus, legem de administris in jus vocandis, secundum art. 77 L. J. conficiendam, omnes singu-

---

*zal naarkomen, en voorts alles doen, wat een goed en getrouw opperbevelhebber schuldig is en behoort te doen.*

1) Cf. impr. art. 15 cod. *De G. G. is gehonden de bevelen, hem door den Koning of uit naam des Konings toegezonden na te komen.* Cf. praeterea art. 16, 18, 19, 23 aliique.

los modos, quibus administri delinquere possint, enumerare, et singulorum delictorum notas referre non posse, et ideo generalem totius rei ambitus descriptionem sufficere, hoc multo magis dicendum esse de lege de eodem argumento, quod ad coloniis praepositos attinet, ferenda.

Hoc etiam dilucidius fit varia G. G. officia accuratius recensenti, eorumque naturam cum peculiari ejus statu conferenti; in art. 15 v. c. edic. cit. ei imponitur obligatio executioni mandandi ea, quae a Rege aut nomine Regis jubentur; quam diversi vero momenti haec esse possunt, ita ut alterius prorsus omissio ne animadvertatur quidem, altero contra in exsequendo quam minimum vitium gravissimas habeat sequelas, et toti coloniae, toti omnino patriae damnum afferat! quomodo horum omnium rationem habebit lex poenalis? quomodo varias classes, earumque species definit?

Aliud non minus aptum exemplum nobis affert art. 24 1) edic. cit. Facultate apprehendendi aut removendi personas in colonia degentes eum abuti posse unusquisque intelligit; quam varios vero casus distinguere deberet lex, quae singulorum modorum, quibus in hoc art. exsequendo delinqui posset, enumerationem facere tentare vellet.

Lex igitur, quae in coloniis praepositos in munere gerendo delinquentes poenas statuere debet, ejusdem generis

1) Art. 24. De G. G. heeft de magt om personen, hem gevaarlijk voor de openbare rust of veiligheid voorkomende, bij schriftelijken en eigenhandig onderteekenden last, in verzeekerde bewaring te doen nemen.

De G. G. heeft almede de magt, om dezulken of andere ingezetenen, wier verblijf in Nederlandsch Indie door hem gevaarlijk geoordeeld wordt, van daar te verwijderen, daarbij zooveel mogelijk zorg dragende, dat aan dezelve een behoorlijke tijd, tot het in orde stellen hunner zaken worde gelaten; van het alzo genomen besluit, en de beweegreden tot hetzelfde, wordt aan het Departement van Kolonien dadelijk kennis gegeven.

generalem definitionem ejusmodi delictorum contineat, quam supra de administris disserentes necessariam esse ostendimus; quae ibi de variis culpae gradibus diximus, etiam hic valeant.

Nulla enim ratio nobis est habenda culpae graduum definitionis, quam nonnumquam in decr. coloniarum regimen ordinantibus invenimus; ita v. c. art. 15 1) al. 1 decr. d. 14 m. Sept. an. 1815 regimen in colonia, quae Suriname dicitur, constituentis (*Reglement op het beleid van de regeering, het justitiewezen, den landbouw en scheepvaart in Suriname*) de culpae gradu aliquid statuit.

Hic art. enim G. G. concedit facultatem eos incolas ex colonia expellendi, quos ejus saluti periculosos fore credat, et, ut ejusmodi expulsionis certius fiat regimen metropoleos, praecipiens his verbis concludit: *als zijnde de G. G. daarvoor verantwoordelijk, doch zonder ooit in regten te kunnen worden aangesproken, dan wanneer het blijken mogt, dat daarin gehandeld was uit volstrekte willekeur, bijzondere vijandschap of opzettelijke onregtvaardigheid.*

His verbis tanquam norma acceptis, G. G. numquam in jus vocari posset, nisi dolo malo delinquens.

Quemadmodum art. 15 agit de incolis, qui jam in colonia degent, removendis, art. 20 et 21 eod., quid juris sit de advenis, statuunt, nullam vero rationum reddendarum mentionem faciunt. Quid ex hoc silentio sequitur? an reddendae non sunt? an iteranda est dispositio art. 15

1) Hoc decretum exstat in collectione *Nederlandsche Punctecten VIII*, p. 192. Animadvertendum tamen hoc hodie non amplius vigere, cum jam saepius alia promulgata sint, quae exstant in: *Gouvernementsbladen in de Kolonie Suriname uitgegeven sedert 1816 tot en met 1835, behelzende enz.* et hujus collectionis pars sequens inde ab an. 1835 usque ad an. 1840.

cit. ? His quaestionibus non facile respondebitur, sed nullius sunt momenti, quum haec et omnes ejusmodi dispositiones nullam vim habeant; G. G. enim in iudicium vocari nequit nisi vi legis, i. e. actus legislatorii a Rege et ordinibus confecti; Rex solus vero dispositionibus de G. G. rationes reddendi obligatione edicto inserendis ordines ad eas servandas cogere, aut S. S. normam agendi praescribere nequit. Adhuc ea lege caremus; quatenus vero ordinariae leges poenales vim habeant in delicta, a coloniis praepositis in munere gerendo commissa, ordinariae de culpa regulae observandae sunt, nulla edictorum a Rege solo emissorum ratione habita, et eodem modo peculiarem hac de re legem ferentes ordines plenissimam habebunt facultatem de culpa statuendi, ut aequum videbitur.

Dispositio igitur art. 15 cit. et omnes ejusdem generis plane sunt inanes; non valent enim tanquam praeceptum, quod ordines in lege hac de ferenda sequantur, neque iudices in legibus jam promulgatis exsequendis iis obstringuntur 1).

1) Adhuc igitur vivimus in eodem statu, de quo querebatur J. D. Meijer. *Over eenen provis. H. R. p. 36: Het is ter mijne kennisse, dat in eene der voornaamste steden het onderzoek eener zaak, die zich als misdaad voordeed, onvervolgt heeft moeten blijven, omdat een Gouverneur-Generaal eener volkplanting daarin betrokken was, en de ambtenaren, met dit onderzoek belast, zich zonder wettig gezag bevindende, hun opperhoofd hebben bevroegd, die, bij gebreke eener bevoegde regtbank, hun niet heeft kunnen opgeven, hoedanig zij te handelen hadden. Het is ter mijner kennisse, dat iemand bij het Hooge Bestuur klagten tegen eenen anderen Gouverneur-Generaal eener volkplanting heeft ingebracht, en verzocht, dat dezelve, ter zake van misbruik van magt en eigendunkelijke kwelzucht, zoude worden te regt gesteld. Ik ben er verre van daan, deze ambtenaren aan die misdaden schuldig te houden; maar zij konden het zijn. Welke regtbank zal over die beschuldigingen oordeelen? Quamvis enim querela, quod nullum adsit iudicium, hodie proferri non possit, tamen non inde magnum obyeniēt lacrum, quamdiu nulla aderit lex.*

Non potest non potestas G. G. quodammodo omnibus limitibus carere; ea possunt esse tempora, ut leges anxie exsequi summae esset stultitiae, hoc locum habere posse etiam in patria nostra supra jam animadvertimus, et ideo pro parte in administris persequendis ordinum consensus desideratur 1). Hujus rei etiam rationem habuit edictum cit. art. 109 G. G. facultatem concedens ipsum edictum, summa cogente necessitate, violandi, quod vero faciet G. G. suo periculo: *op zijne verantwoordelijkheid.*

Mirandum, quod nulla ejusmodi dispositio in edicto Indiae, ut ita dicam, orientalis regimen constituyente invenitur; haec enim a metropoli magis dissita, majore igitur tempore opus, ut accipiantur Regis jussa, praeterea multo extensior est, quod etiam, ut dispositio, qualis in art. 109 cit. adest, magis sit necessaria, efficit.

Debet igitur G. G. adesse facultas transgrediendi fines, quibus auctoritas ejus est circumscripta; haec formarum aut ipsarum legum violatio fortasse persecutioni poenali ansam praebit, sed nunc remedium afferendum, ne G. G., qui jure hanc facultatem adhibuerit, ob istiusmodi legum violationem gravetur 2).

Quodammodo hoc de omnibus magistratibus etiam infimis dicendum, sed quod ad hos attinet, jus gratiae Regi competens, satis erit efficax, si vero de supremis magistratibus

1) Cf., quae supra p. 38 et 70 sq. hac de re animadvertimus.

2) Art. 109 eod. *Niettegenstaande alles, wat bij dit reglement is omschreven, stiptelijk moet worden achtervolgd, zal echter in zeer buitengewoone gevallen, wanneer er geen tijd zoude zijn op een voorstel tot buitengewoone maatregelen de goedkeuring des Konings af te wachten, de G. G. met concurrentie van den Hove en op zijne verantwoordelijkheid, zoodanige buitengewoone provisioneële maatregelen kunnen nemen, als hij naar omstandigheden ten nutte der Kolonie zal oordeelen te behooren, enz.*

sermo est, non sufficit poenam evitari, condemnatio enim iis jam nimis molesta et patriae fortasse damnosa esset, sed, licet, si verbis quis haereat, peccaverint, ob temporum necessitatem non modo omni poena, sed adeo inquisitione liberandi sunt.

Hoc, ut jam animadvertimus, in patria faciunt ordines Generales consensum denegantes; administri hoc praesidio fruuntur et coloniarum praefecti, quibus multo magis eo est opus, eo non fruerentur?

Ne quis dicat, ejusmodi munimentum non desiderari, quia G. G. non facile accusatur, nisi jubente Rege, qui, omnibus rite perpensis, accusationem inferri vetatur. At primum affirmare non audeo Regimen semper ejus fore opinionis, et praeterea fortasse hoc ipsum, quo peccaverit G. G., eum odiosum reddidit; Regis jussa v. c. non executus, aut quia ei damnosa videbantur, aut quia mutata tempora alia posebant, aut fortasse quia cum nostra L. J. pugnant; an, hoc, imprimis postremum, locum si habet, Regimen semper cum G. G. faciet?

Debet igitur adesse collegium quoddam, judicii instar, quod accusato G. G. dijudicet, an talis excusationis justa adsit causa, ita efficax, ut, quamquam, quorum accusatur, delicta revera ab eo commissa sint, tamen nulli persecutioni obnoxius esse debeat. Manet tamen difficultas, cui collegio haec potestas mandanda.

An ipse S. S? Hanc ad rem dijudicandam accurata status rerum politici scientia opus est, non modo jus publicum et variorum institutorum fines et ambitum accurate tenere oportet hunc judicem, sed omnes, ut ita dicam, circumstantias optime scire debet.

Ne, quod ad patriam attineat, harum rerum satis gnaros fore S. S. adscriptos credit legislator, et ideo, certe pro-

parte de his iudicium ad ordines transtulit; senatui supremo igitur haec provincia demandanda non est, nam coloniarum ei profecto multo magis imperfecta adest notitia quam ipsius patriae.

An ordinibus generalibus? Hi hoc munere in administrum quidem funguntur, et ad hoc aptissimi sunt; non vero inde concludendum iis omnia, quae colonias spectant, in promptu esse, status politici enim patriae gnari esse possunt, et tamen coloniarum conditionem non satis habere perspectam; patriae statum ipsi viderunt, rerum peractarum fortasse multis nominibus ipsi participes fuerunt, unusquisque, ut sibi placet, inquisitionem instituere potest; verbo, re patriam spectante, adest ordinibus interna illa rerum cognitio, quae ex quotidiana consuetudine proffuit; haec omnia coloniarum ratione secus; quod ad has attinet, non per se habent requisitam scientiam, et non facile eam sibi comparabunt 1).

Cum igitur neque S. S. neque ordines generales ad hoc sint apti, inter collegia Batava, quae hoc loco in censum veniunt, nullum superest nisi concilium status; quominus tamen huic talis potestas demandetur, impediunt eadem rationes, quae in ordinibus adsunt, et praeterea variae difficultates ex huius collegii constitutione originem ducentes.

In ipsa metropoli igitur nullum adest corpus politicum, quod adhiberi possit, quamobrem ad ipsa collegia Indica refugiendum, licet celeritatis causa optandum esset, ut totus processus in ipsa patria perageretur.

Quod ad Indiam Orientalem attinet, duo collegia in censum venire possunt, sc. concilium Indicum (*Raad van*

1) Negari tamen non potest horum multa etiam animadverti posse de ordinibus, ad coloniarum administrum persequendum utrum consensus denegandus sit necne, deliberantibus.

*Indie*) et curia suprema (*Hoog Gerechtshof van Nederlandsch Indie*), contra utrumque vero variae animadversiones inferri possunt.

Curia suprema enim, ad justitiam distribuendam instituta, magis ex Jurisconsultis, quam ex viris politicis constabit; politica igitur notitia, quae ut in patria penes S. S. esset, metuerunt L. J. conditores, verisimilitur etiam carebit.

Concilii Indici contra munus accurate investiganti multa argumenta se obtrudunt, ne hoc ea ornetur potestate, prohibentia; politicam rerum scientiam sine dubio tenebit, sed saepissime factorum, ex quibus accusatio profluit, particeps fuerit, et ideo ad ea dijudicanda non satis liberum erit. Concilium Indicum enim audiendum 1) est a G. G. de omnibus rebus quotidianam administrationem spectantibus, sive igitur concilium has res approbaverit, sive eas reprehenderit, semper ejus opinio suspecta erit.

Ideo curia suprema praeferenda videtur, nisi fortasse ex pluribus magistratibus superioribus, qui in coloniis adsunt, aptum collegium componere liceat.

Animadvertendum praeterea omnes rationes, quae, ut haec provincia S. S. non sit tribuenda ratione patriae nostrae, efficiunt, non adesse quoque in curia suprema Indica. Jurisdictionis enim illa divisio inter S. S. et ordines, pro parte, ne nimia fiat S. S. potestas, pro parte, quia duplex desideratur iudex, pro parte etiam, quia accuratiori politicae scientia opus est, quam quae penes Senatum verisimiliter inveniatur, introducta est. Harum trium causarum solummodo tertia vim suam retinet, si sermo est de G. G.; praeterea fieri potest, ut jam de istiusmodi quaestionibus senten-

1) Cf. art. 11 edic. cit.



tia a curia suprema sit ferenda in accusatos concilii Indici socios 1).

Non modo verum delicta in munere gerendo a G. G. commissa, sed etiam communia S. S. sunt cognitionis; gaudeamus, quod non facile ob commune delictum actio poenalis in G. G. instituetur, nam variae sunt difficultates, quae solvi sine legum laesione non possunt. Quomodo coheretur G. G. sistere in iudicio in patria nostra? an praevia apprehensio permessa? saltem in India 2)?

Sed major difficultas oritur ex legis dispositionibus de testibus audiendis. Ut enim testimonia legitimam constituent probationem, in ipso iudicio verbis edita esse debent 3); quando igitur delictum in India commissum per testes probandum est, his testibus iter in patriam faciendum erit, aut eorum testimoniis coram Iudice Indico editis eam solummodo vim tribuere poterit iudex, ut causa fiat dilucidior, non vero ut probationem constituent. Fit jam pulcherrimus et quam minime fallax probandi modus fere inutilis!

Eadem difficultas, fatendum quidem, etiam adesse potest in delictis in munere gerendo commissis perseguendis, sed fere semper in his causis per scripta probatio fieri poterit, et praeterea harum causarum gravitas efficit, ut jure majores impensas secum trahant.

Eadem difficultas revera adest in omni quacunque perse-

1) Cf. art. 43 eod.

2) Cf. art. 42 eod.: *De G. G. kan in geen geval in Indie geregteijk worden aangesproken, of eenige procedures, van wat aard ook, aldaar tegen hem ondernomen worden ter zake van misdaad in of buiten deszelfs ambt gepleegd.*

3) Art. 133 Cod. Qu. Crim.: *Hierna zullen de getuigen hunne verklaringen mondeling afleggen, vid. etiam art. 175 eod.*

cutione delicti extra regnum commissi, qua in re, quod ad nostrum argumentum attinet, legatorum ad externos ratio est habenda.

Hi enim jure gentium immunitate apud populum, ad quem missi sunt, fruuntur; omne igitur delictum sive ordinarium, sive in munere gerendo, ab iis commissum coram patriis judiciis persequendum.

Codex Qu. Crim. nostrorum tribunalium competentiam, quod attinet ad delicta foris perpetrata, definit art. 8 et 9. Inde patet non omnia qualiacunque apud nos puniri posse, unde quaestio oritur, an hi art. etiam in legatum accusatum servandi.

Lex h. l. absolute loquitur, nullamque facit distinctionem; tenendum vero ideo nonnulla delicta foris commissa nostris judiciis non submitti, quia non satis magni videantur momenti, ut praeter persecutionem, cui obnoxii sint delinquentes coram peregrinis judiciis, etiam nostrae leges horum rationem haberent. Hoc vero in legatis secus; cum enim hi nulli peregrinae jurisdictioni sint submitti, patriis legibus soluti omnia delicta in art. 8 et 9 cit. non nominata impune committere possent.

Animadvertendum praeterea eos immunitatis privilegio gaudere, quia finguntur patriam numquam reliquisse, et, quidquid igitur ab iis committitur, domi commissum videtur; sitne haec fictio ulterius protrahenda, ita ut delicta foris commissa tanquam domi perpetrata habenda sint?

Haec erant, quae nobis dicenda videbantur, de delictis extra regnum commissis a personis S. S. forum sequentibus. Rerum similitudo nos sensim paullatimque duxit ad haec iis apponenda, quae de G. G. animadvertenda erant, quamvis ea inter et argumentum art. 115 Cod. Poen. nulla sit ne-

cessitudo. Huic excursui igitur fine imposito, etiam h. l. concludere posse videmur annotationem nostram ad art. 115.

Art. 119 Cod. Poen. de magistratibus agit, qui modo legitimo certiores facti de in carcerem injectione injusta quaedam hanc querelam neglexerint. Variæ sunt legis nostræ dispositiones, quibus, ne quis sine justa causa aut modo non legitimo in carcerem excipiatur, caveatur; huc quoque spectant art. 421 et 426 Cod. Qu. Crim., qui in Cod. Poen. sanctionem habere debent 1); quod ad art. 421 attinet, fortasse art. 14 R. J. sufficiet, sed lex necessaria videtur, quæ art. 426 poenam adjungat. Debet enim actor publicus, hujus rei certior factus, in locum, ubi captivus in carcerem injectus est, proficisci et eum liberare; art. 119 Cod. Poen., prout nunc legitur, non sufficere unusquisque videt, nam aliud est *refuser ou négliger de déferer*, ut loquitur Cod. Poen., aliud *in vrijheid doen stellen*, ut legimus in Cod. Qu. Crim. 2). Mirandum quod in Cod. specimine an. 1842 hujus differentiae nulla ratio habita, nam art. 119 ibi rursus adest in tit. IX art. 9, ubi habemus: *welke weigert om van eene willekeurige gevangenneming of gevangenhouding van eenen ingezetenen te doen blijken*.

1) Art. 421 Cod. Qu. Crim. *De hooge raad, de provinciale hoven en de arrondissements-regtbanken zijn verplicht om de gevangenen van tijd tot tijd door commissarissen uit hun midden te doen bezichtigen, ten einde voor de nakoming van dezen en den volgende titel te zorgen.*

*Dezelfde verplichting rust op den procureur-generaal en de officieren van justitie bij die kollegien.*

2) Art. 426. *Deze ambtenaren zijn verplicht, hetzij van ambtswege, hetzij op daarvan bekomen berigt, zich terstond naar de plaats te begeven, en den gevangen gehouden persoon in vrijheid te doen stellen, of zoo er eene wettige reden van aanhouding gegeven wordt, denzelven dadelijk voor den bevoegden regter te doen brengen.*

*Zij zullen van dat alles een behoorlijk proces verbaal opmaken.*

Inter art. 114 Cod. Poen. et art. 121 ea adest differentia, ut ille poenam statuatur in magistratus aliquem apprehendentes, qui apprehendendi facultate aut praediti non sunt, aut quidem praediti ea sine justa causa utuntur, et hic contra eos spectet, qui hac facultate omnino fruuntur ratione materiae, sed ratione personarum, in quas adhibenda, ea uti non possunt.

Hunc art. ita esse mutandum ut art. 175 L. J. praesidium sanctionem habeat poenalem, unusquisque intelligit.

Praeterea poena statuenda in curiis et tribunalibus adscriptos, qui personas in art. 92 n<sup>o</sup>. 2 R. J. enumeratas apprehendi jusserint. Hic art. etiam animadvertere debet in tribunalia, quae, art. 65 n<sup>o</sup>. 3 R. J. nulla ratione habita, magistratus judicarios suae submiserint jurisdictioni.

An ratio habenda immunitatis eorum, qui stirpe regia sunt orti?

Quid dicendum de aliorum populorum legatis apud nos degentibus?

Jure gentium legati nonnullis fruuntur privilegiis; inter haec praecipuum est jus, quod dicunt, exterritorialitatis, quo finguntur numquam patriam suam relinquisse, unde quoque eos numquam peregrinis judiciis submitti posse sequitur; sitne tamen hujus rei in lege mentio facienda?

Codex Qu. Crim. delicta investigandi obligationem magistratibus judiciariis imponit, et modum, quo agendum est, iis praescribit; exceptionem igitur, ita ut alio aut prorsus nullo modo iis sit agendum, lege niti oportet; quum nisi hoc fiat, magistratus, istiusmodi casuum nullam habentes rationem, legem sequerentur ordinariam.

Saepe satis gravis discordia inter populos orta ex injuriis legatis illatis; operae pretium igitur hanc rem accuratius definire, et immo legem poenalem ei providere magnae potest

esse utilitatis ad difficultates, quae fortasse ex legatorum sanctitate violata nascerentur, tollendas 1).

Art. 127-131 Cod. Poen. materiam tractant apud nos hisce temporibus quam maxime agitatum; jucundum sane esset uberius de ea disputare, quatenus controversias dictas *conflicten* patiatur jus nostrum publicum, et quomodo eae instituendae et dirimendae sint; jucundum sane esset diversas auctorum hac de re sententias exponere et inter se et cum aliorum populorum legibus conferre, sed majoris est ambitus haec res, quam quae obiter tangatur, et ne eam funditus tractemus, prohibent hujus disquisitionis fines et argumentum.

Nostri solummodo est inquirere, quatenus hi art. adhuc apud nos vim habeant, utrum in nostra legislatione poenali, ut hodie exstat nostrum jus publicum, servandi, an abrogandi, aut etiam quomodo mutandi sint.

Art. 127 no. 1 poenam statuit in magistratus judicarios, se potestati legiferae immiscentes. Hujus dispositionis origo deducenda ex metu, ne iudices sensim paullatimque potestatem Gallicorum parlamentorum 2) renovarent, qui metus certe hisce temporibus et apud nos prorsus inanis. Quomodo enim iudices leges promulgarent? Si forte hoc fieret, sine dubio omnem vim iis abnegaret S. S. et si praeter omnem

1) Probanda videtur ad horum immunitatem tuendam dispositio cod. Braz.: *Violer l'immunité des ambassadeurs ou des ministres étrangers.*

Peine. *La prison de deux à seize mois.*; cf. art. 75 cod.

Art. hic legitur in eo cap., quod agit de criminibus contra securitatem politicam imperii, et imprimis spectat privatos, sed praeterea necessaria videtur lex, quae totidem verbis poenam statuit in magistratum hanc immunitatem laedentem. Cf. etiam *Crim. Wetb. van het Koninkrijk Holland* art. 92 et Ch. Martens: *Causes celebres du Droit des gens.*

2) Cf. Chauveau et Faustin ad h. l.

spem contrarium obtineret, metuendum, ne etiam leges poenam contra collegas statuentes executioni mandare nollent? In hac hypothesisi, non legibus poenalibus, sed vi publica opus est.

Non igitur servemus dispositionem, cui applicandae verisimiliter nunquam locus erit, et quae, si umquam effectum habere posset, nullius esset utilitatis.

Art. 127 no. 2 spectat judiciales magistratus, qui se potestati administrativae immiscuerint: *soit en faisant des règlements sur ces matières; soit en défendant d'exécuter les ordres émanés de l'administration* ut ibi legitur; est haec dispositio corollarium al. 1 hujus art.; quemadmodum enim illa potestatem legiferam, ita haec executricem contra judicatricem defendit. Illam vero inutilem esse jam vidimus; idem de hac dicendum.

Eadem al. praeterea mentionem facit iudicum, qui magistratum ob ea, quae in munere gerendo perpetraverit, in jus vocarunt, cui loco adjungendus art. 129. Spectant hi art. const. anni 1799 art. 75, ne magistratus ob ab iis, quasi talibus, peracta in jus vocarentur, prohibentem, nisi consentiente Regimine; qui cum art. 75 apud nos obrogatus 1), etiam art. 127 et 129, utpote eum sanctione poenali firmantibus, nullus amplius est locus.

Tandem art. 127 i. f. loquitur de veris *conflictibus*, quocum loco conjungendus art. 128.

Art. 127 audit: *le conflit, qui leur aurait été notifié*. Haec vox *notifié* sine dubio intelligi debet, modo legitimo, quod etiam dicendum de voce *formellement* in art. 128. Antequam igitur delictum hocce adesse possit, necesse est, ut contro-

1) Cf. Staatsb. an. 1816 no. 11.

versia modo legitimo sit elicitā, quod cum apud nos fieri non possit, etiam hi Cod. Poen. art. pro non scriptis habendi 1).

Art. 130 et 131 tandem potestates legiferam et judicariam contra administrativam defendunt; pro parte jam mutatio, quae in *conflictibus* facta, etiam eos mutavit; ne vero se immisceant potestati legiferae officiales administrativi, provinciarum praesides impedire debent, de quibus supra jam egimus.

Tota igitur sectio Cod. Poen. inscripta: *Empiètements des autorités administratives et judiciaires* apud nos, his temporibus, servato de conflictibus jure nostro hodierno, omni vi caret.

Hiscē peractis transeamus, Cod. Poen. ordinem sequentes, ad leges poenam statuentes contra falsae monetae crimen, et inquiramus, quatenus eae sufficiant contra rei monetali praefectos.

1) De his controversiis lata est lex d. 16 m. Jun. an. 1816 (*Staatsb.* no. 27), quae eas non abrogavit, sed vi leg. fund. abrogatas esse dicit; pro parte rursus institutae decreto regio d. 16 m. Jul. an. 1820 eod. no. 16, novam vim nactae sunt de cr. d. 5 m. Oct. an. 1822 eod. no. 44, quo decreto abrogato, nulla, quomodo in iis agendum, formarum praescriptio adest.

Decretum anni 1822 totidem verbis art. 127 et 128 Cod. Poen. applicandos esse constituit, quam in rem magnopere invehit A. D. Meijer summi J. D. Meijeri frater in *Leerstellingen over de regterlijke magt*, p. 120.

Tenendum tamen hos art. nunquam fuisse abrogatos, sed semper viguisse, aliis ex causis tantum eorum applicationi non amplius locus erat, quibus remotis, rursus omnem suam auctoritatem recuperant. Decr. igitur an. 1822 eos non rursus introduxit, nam hoc sine dubio contra legem d. 6. m. Mart. an. 1818 pugnasset. Alia est quaestio utrum Regi adesset jus decernendi decreti illius, necne, utrum modus controversiam denuntiandi potestatem inter executricem et judicatricem esset legitimus necne, sed his affirmatis locus est art. 127 et 128 Cod. Poen.

Art. 132-138 Cod. Poen. poenam comminantur in eos, qui falsam monetam eudunt aut emittunt, sed nullam instituunt differentiam inter privatos hoc crimen committentes, et eos qui quodammodo rei monetali praesunt; quam vero superiori poena hi sint affiendi, non est, quod multis verbis ostendamus. Illis enim multae obviae sunt difficultates, quae ab his facile evitari possunt, ne de majore probitate loquar, quam in tam illustribus officialibus adesse jure quis credat.

Non mirandum igitur, quod plures leges poenales 1) haec in re a Cod. nostro differunt, quod graviorem poenam contra monetae praepositos (in aliis legibus ad alios gradus haec exceptio est prolata) constituerunt; in patria etiam nostra hujus differentiae ratio habita, nam in lege d. 29 m. Apr. an. 1836 2) poena mortis servata est contra rei monetali praefectos et opifices cujuscunque gradus. Quaeri tamen potest, an haec sanctio etiam valeat contra eos, quibus nomen est legitimum: *Raden en Generaalmeesters der munt*; hi enim proprie non sunt *muntmeesters*, quod nomen alium significat ministrum, et ex locutione: *anderen die eenig bestuur over 's rijks munt hebben*, voci *muntmeesters* postposita dubitare licet, annon potius inferiores, quam superiores haec verba spectent.

1) Cf. edict. an. 1623. Specimen an. 1827 art. 417 distinguit: *muntmeesters of die eenig bestuur over 's lands munt hebben*, et art. 418 legimus: *muntmeesters of die eenig voornaam bestuur hebben*; eadem distinctio, ut saepius, invenitur in Cod. d. 31 m. Dec. an. 1808 art. 297 et 301. Cf. etiam Cod. Neap. art. 263 al. 3.

2) Art. 6. *Met de doodstraf bij art. 132 van het gemelde wetboek (Cod. Poen. an. 1810) bedreigd zullen alleen gestraft worden, de muntmeesters of anderen, die eenig bestuur over 's rijks munt hebben, ook werklieden bij de munt, wanneer deze zich zullen hebben schuldig gemaakt, aan het namaken of doen namaken van de muntspecien bij art. 2 dezer wet vermeld.*



Non tamen ita stricte interpretandum esse censeo; praeterea loquendi formula art. 6 verisimiliter originem ducit ex Cod. anni 1808 art. 297, quod si verum, illius temporis collegiorum monetarum constitutio in art. 6 interpretando vim suam habere debet 1).

Lex anni 1816 *staatsbl.* no. 50 systema monetale Batavum constituens nummorum introduxit divisionem in legales et mercatorios (*stand- of negotie-penningen*) et prohibuit, ne nonnulli prioris generis, nisi jubente Regimine, cuderentur; ne ejusmodi nummi in privatorum commodum cudantur, curare debent rei monetali praefecti 2); quid tamen juris, si ipsi, ut commodum inde capiant, hos nummos, justum tamen valorem habentes, non jubente Regimine cudi jubent?

De falso monetae crimine hoc loco sermo esse non potest; sit quidem quaestio, utrum privatus, jure monetae non fruens, justis valoris nummos conficiens hoc crimen perpetraverit necne 3), sed numquam nummi justis valoris et in moneta publica cusi falsi dici possunt.

Art. 27 leg. constituentis collegium R. M. praefectorum an. 1819 4), ne hujus collegii socii metallorum, nummorum et aliarum ejusmodi rerum commercium faciant, prohibet, qui art. sanctionem suam quodammodo habet in art. 175 Cod. Poen., qui in nostra quaestione igitur applicari potest; sed idem art. invocandus in praefectum, qui in proprium commodum cudi jubet nummos, qui omnino postulantis

1) Jam edict. an. 1589 loquebatur *muntmeesters, waerdeins* . . . . , unde posteriorum legum locutio defluxisse videtur.

2) Cf. h. leg. art. 1 et 11.

3) Cf. Decr. a. 1838 *Staatsb.* no. 29 art. 21.

4) Cf. quoque de eod. arg. lex an. 1814 *Staatsb.* no. 78 art. 38.

privatis confici possunt. Quemadmodum hodie igitur haec materia est ordinata, nihil differt, utrum nummi, quos sibi cudi curet R. M. praefectus, a privatis, an a solo Regimine confici possint.

Art. 18 l. cit. sic audit. *De beslissing in de kwestien over het allooï, essai, en wat dies meer is, van gouden en zilveren werken en speciën, hetzij deze kwestien op de kantoren, hetzij bij de visitatiën, hetzij in den loop der regts-gedingen, door of tegen 'srijks ambtenaren gevoerd, voorkomen, behoort uitsluitend aan het kollegie van Raden en Generaalmeesteren der munt 1).* An in hujusmodi decisione falsum locum dat art. 146 Cod. Poen.? huc etiam pertinet art. 13 eod., qui huic collegio falsos nummos inspiciendi, et de iis referendi obligatio imponit. Hoc vero eo majoris est momenti, quod collegii relatio fundamentum est actionis.

Art. 145 et 146 Cod. Poen. de falso in instrumentis publicis a magistratibus commisso agunt. Inter magistratus, qui S. S. forum sequuntur, imprimis h. l. in censum veniunt judiciorum graphiarum, praeterea ordinum graphiarum v. c. in notulis describendis, et qui concilio status, camerae rationum et R. M. praefectis sunt ab actis.

Non tamen hisce causis peculiaris quaedam difficultas inest, quae ex muneris natura non ex ipsa causa oritur.

Dubitare tamen licet, an art. 145 et 146 dispositiones satis late pateant; an v. c. S. S. socius, ut de causa quaedam referat, secundum art. 399 Cod. Qu. Crim. delectus, falsam relationem emittens his art. obnoxius esset?

Eadem quaestio interponi potest de ordinum concilii infe-

1) Cf. hujus art. interpretationem, ut ita dicam, authenticam in decr. reg. d. 12 m. Maji an. 1826 Staatsb. no. 41. Vide etiam leg. an. 1814 art. 29.

rioris relatoribus a sectionibus nominandis 1), de horum sectionum praesidibus, et imprimis de sectionis, quae de petitionibus referat (*commissie tot de verzoekschriften*), sociis 2).

Quid dicendum de ordinum praeside suffragiorum numerum adulterante, aut de suffragiorum collectoribus hac in re fraudulenter versantibus? Si scriptim haec suffragia emissa sunt, fortasse quis ob argumenti similitudinem locum esse posse art. 111 3) Cod. Poen. crederet, sed, hoc art. cum aliis ejusdem sectionis collato, patet hanc sententiam defendi non posse, in tota enim hac Cod. Poen. parte sermo est de populo delegatos eligente, non vero de his suffragium ferentibus.

Quod ad falsum in legibus promulgandis attinet, hanc quaestionem supra jam attigimus; leges et regia decreta, ut diario publico inserantur, authentica esse affirmat cancellatui praepositus, qua in re si fraus admissa, illi soli imputari posse videtur; an contra hunc art. 145 et 146 vim haberent?

Jam pervenit nostra disputatio ad eam Cod. sectionem, quae proprie de delictis in munere gerendo a magistratibus commissis agit; primum nobis obvenit art. 173 poenam statuens in eos, qui instrumenta, ratione muneris eorum fidei commissa, fraudulenter auferunt.

Fere omnes magistratus hocce delictum committere pos-

1) Cf. decr. del. mod. ord. art. 62, 71, 74, 99 sqq.

2) Cf. art. 9 et 45 eod.

3) Art. 111. *Tout citoyen qui, étant chargé, dans un scrutin, du dépouillement des billets contenant les suffrages des citoyens, sera surpris falsifiant ces billets, ou en soustrayant de la masse ou y en ajoutant, ou inscrivant sur les billets des votants non lettrés, des noms autres que ceux, qui lui auraient été déclarés sera puni de la peine du carcan.*

sunt, ideo singulorum casuum enumerationem ne quis quaerat. Paucis tantum agendum de quaestione, an hic art. pertinet ad ordines generales, aut potius ad eorum praesides.

Quae anno 1823 apud ordinum concilium inferius facta sunt 1), nos ad hanc quaestionem ducunt; si enim haec dolo non negligentiae imputanda fuissent, num art. 173 locus fuisset?

Tenendum, quae ab administris cum ordinibus communicantur, per concilii praesidem fieri, ita ut v. c. legis specimen huic mittatur, et ab eo cum concilio communicetur; ejusmodi specimen mutationes etiam per praesidem ad concilium perveniunt, quod saepe per epistolam fit, haeque mutationes ab administro authentico apud ordinum graphiarium deposito adscribuntur. Ejusmodi litterae administris, mutationem in legem quamdam pecuniariam introductam esse ordines certiores facturae, ut amissae essent, factum. Hi hujus mutationis prorsus ignari specimen, ut initio rogatum erat, deliberarunt, idque probarunt; authenticum vero mutatum secundum L. J. praecepta ad concilium superius missum, cujus socii mutatum specimen probarunt, ad Regemque miserunt, qui legem promulgavit.

Ob istiusmodi litterarum amissionem lex ab ordinibus probata, quam non deliberaverant, eaque fuit promulgata, quin cum iis fuisset communicata; et percepta sunt tributa, quibus ordines fortasse consensum denegassent.

Regia munificentia intercessit, neque ullum erat dubium, hac in re de dolo non esse cogitandum 2); an vero, hic si adfuisset, art. 173 applicari potuisset?

1) Cf. v. Hogendorp, *Bijdragen* IX, p. 163-202 et 250-271.

2) Cf. ordinum praesidis oratio hac de re apud v. Hogendorp, l. l.

Non dicetur ordinum praeses annumerari posse iis magistratibus, qui in art. illo nominantur, neque ipsum factum convenit cum illo, in quod poena ibi statuitur; instrumentorum enim suppressio punitur, et in nostra positione solummodo de reticentia 1) eorum, quae in instrumentis dicuntur, sermo est; ratio legis art. 173 est damnum, quod ex illa suppressione pati possent instrumentorum domini, quod in nostro casu adesse nequit.

Non facile igitur art. 173 contra praesidem legum rogationes vel alia ejusmodi cum ordinibus non communicantem invocari potest. Estne tamen non satis magni momenti res, ut lex poenalis ei provideat?

Hoc etiam quaeri potest de altero illo praesidis officio concilii decreta executioni mandandi, ex edicto enim del. mod. ordin. etiam hoc praesidi incumbit 2). Quid juris esset in praesidem hanc muneris partem negligentem, praecipue in ea dolose versantem; lex v. c. in concilio rogatur et probatur, quam Regimini minime jucundam esse scit praeses, qua ex causa is eam ad concilium superius non transmittit 3).

Cum ordinum praeside eodem gradu ponendus videtur sectionis, quae de petitionibus referat, institutae socius, qui petitionem quamdam reticet. Hujus prorsus causa illius positioni similis.

Legis poenalis proprie est poenam statuere in ea facta, quae ob unam alteramve causam societati periculosa sunt; nonnumquam vero ulterius protrahitur, et poenam statuit in

1) Ceteroquin enim art. 254 locus fuisset.

2) Cf. art. 9 hujus ed.

3) Hujus rei etiam accusatus fuit cancellarius Finch, Vera tamen accusationis causa fuit pars conspicua, quam in persequendo Hampden habuerat.

ejusmodi actus, qui natura sua nullo modo his sunt annumerandi, sed tamen auctoris positione aut alia ex causa huc referendi.

Ita v. c. provinciae praeses frumentorum faciens commercium nihil peragit, quod per se poena dignum videtur; metuebatur vero legislator, ne ad proprium curandum commodum monopolium institueret, unde originem duxerunt art. 175 et 176 Cod. Poen. 1).

Horum art. prior, magistratus ne participes fiant nonnullarum rerum, inter quas et eorum munus aliqua sit necessitudo, prohibet, quum posterior nonnullis magistratibus nominatim enumeratis certas quasdam commercii species interdicit.

Inter magistratus, qui S. S. forum sequuntur, h. l. incensum veniunt provinciarum praesides, coloniis praepositi, camerae rationum socii, rei monetali praefecti, et quodammodo magistratus judiciales.

Art. 13 mand. provinciarum praesides participes nonnullarum rerum fieri vetat; quatenus eae eorum administrationi aut curae sint commissae, aut quatenus eorum solutio aut rationum redditio iis sit mandata, nullum dubium art. 175 Cod. Poen. applicari posse, sed quaestio, num quoque huic art. locus sit in iis causis, in quibus hae conditiones non adsunt. Negandum videtur, nam in hac positione una delicti nota deest; ratio enim legis est metus, ne magistratus proprium commodum saluti publicae praeferens obligationem rem pene peragi curandi negligat, cui metui nullus est lo-

---

1) Hujus rei vestigia jam in jure Romano occurrunt. Habemus enim ibi exemplum proconsulum, quibus provincialem uxorem ducere non licebat.

cus hac obligatione ei non incumbente; in his igitur causis art. 13 mand. omni sanctione poenali caret 1).

Difficilior est quaestio, an poena in art. 176 Cod. Poen. contra praefectos utriusque gradus (*préfets* et *sous-préfets*) statuta apud nos provinciarum praesidibus imponi possit.

Haec quaestio quodammodo in toto jure nostro poenali adest, et aderit, ubicunque, jure publico mutato, eadem leges poenales contra delicta publica aut a magistratibus commissa servantur.

Art. 4 dec. d. 11 m. Dec. an. 1813 2) in hac quaestione invocandus videtur; regulam posuit generalem, quae in Cod. Poen. dicantur de auctoritatibus publice constitutis Gallicis, transferenda esse ad auctoritates Batavas. Ideo nullam facimus difficultatem, quae v. c. legantur in art. 121 Cod. Poen. de primariorum magistratuum apprehensione, transferenda esse ad officiales in art. 175 L. J. enumeratos. An tamen hic art. 4 ita protrahendus, ut ab omni parte auctoritates Batavae similes habeantur iis Francicis, quibuscum quodammodo convenient. Praesidium enim munus omnino multis nominibus simile est ei, quod gerunt praefecti, sed in non paucis ab eo differt, et profecto non omnia, quae ad illos pertinent, etiam ad hos pertinere dici possunt; hoc etiam de jure poenali dicendum et proprie distinctio facien-

1) Art. 13 mand. *De Gouverneurs mogen, directelijk of indirectelijk, geen deel nemen in eenige voor rekening van het rijk, of van eene publieke administratie, binnen hunne provincie gedane of te doene leverantie, aanbesteding of aanneming.*

2) Art. 4 decr. d. 11 m. Dec. an. 1813 sic audit: *Alle bepalingen in het voorzeide Wetboek (Cod. an. 1810) ten aanzien van het Fransche Rijk, deszelfs Gouvernement en de Fransche geconstitueerde Magten voorkomende, zullen voortaan toepasselijk zijn op den staat der Vereenigde Nederlanden, het daarin gevestigd gouvernement en de Nederlandsche geconstitueerde magten.*

da, inter legis in praefectos dispositiones ea, quae et hodie in praesidibus adsunt, spectantes, et eas, de quibus hoc dici nequit, ita ut priores etiam his temporibus in praesides valeant, posteriores contra nullam retineant vim, aut ad eum transferantur magistratum, qui hanc muneris partem exerceat. An tamen haec distinctio revera fieri potest? Negari vero non potest ob majorem auctoritatem ordinibus provincialibus commissam, et imprimis ob art. 145 Leg. Imp., eam ipsam muneris praefecti partem, qua ad frumentorum commercium faciendum abuti posset, magnopere in praeside esse mutatam.

Edictum Indiae Neerlandicae regimen constituens art. 9 multas res enumerat, a quibus abstinere jubetur Gubernator Generalis; quatenus art. 175 applicationi locus est, sanctio hujus praecepti adest; sed multae in art. 9 enumerantur, quas art. 175 non spectare videtur; quod ad has attinet, nulla lex in Gubernatorem Generalem adest.

Art. 7 l. an. 1841, concilium generale ad rationes accipiendas ordinans, sociis hujus concilii quoque nonnullarum rerum communionem interdicit, et, ut sine ullo dubio art. 175 locus esset, totidem verbis additum: *op straffe daerop bij het wetboek van strafregt gesteld.*

Supra paucis verbis jam de R. M. praepositis egimus, et diximus ibi art. 175 in eos invocandum esse in proprium commodum in moneta eudi nummos jubentes, hoc vero non tam ob art. 27 ibi cit. dicendum, quam ob ipsum art. 175; cura enim nummorum eudendorum iis est commissa, et ideo ejusmodi commercii participes esse non possunt. An vero art. illa 27 sanctionem plenam habet in nostro art. 175? Prohibitionem continet, ne metallorum aut nummorum commercium a Rei Monetali praefectis fiat; art. contra 175 ut locus sit, necesse est rem curae aut administrationi praepo-



sitorum esse commissam, hoc verum de metallorum commercium dici nequit.

Tandem dicendum de magistratibus judiciariis, qui rerum, de quibus iis sententia ferenda erit, participes fiunt. Animadvertendum art. 175 ad eos trahendum non esse; quod non ideo est dicendum, quia, quod fortasse quis credat, denominatio *fonctionnaire public* ad eos non pertinet, sed quia altera hujus delicti nota, rei administratio aut cura iis deest. *Avoir l'administration ou la surveillance, être chargé d'ordonner le paiement ou de faire la liquidation* non dici potest de iudicibus, qui in causa, cujus participes sunt, sunt laturo sententiam, sed tenendum iudicem, qui dolo malo hoc delictum committit, non facile art. 183 Cod. Poen. esse evitaturum.

Quod ad emptionem attinet, art. 1504 1) Cod. civ. omnem conventionem, contra suam dispositionem peccantem, nullam esse jubens, junc. art. 12 et 14 R. J., ut legem poenalem hujus rei rationem habere minus sit necessarium, efficit. Sed hic art. solam spectat emptionem, et de aliis obligationibus tacet lex.

Praeterea, ne iudex in propria causa sententiam ferat, provident etiam art. 30 et 31 Cod. de modo proc. et art. 351 Cod. Qu. Crim.

Art. 30 enim recusationis causas enumerans sub no. 1 etiam affert, si proprium commodum cum re cohaereat, et art. 31 iudici, qui causam accusationis sibi adesse scit, eam cum collegio communicandi obligationem imponit.

1) Art. 1504. *Regters, leden van het openbaar ministerie, griffiers, advocaten, . . . . . mogen door overdragt geene eigenaars worden van regten en rechtvorderingen, waarover gedingen aanhangig zijn bij de regtbank, onder welker regtsgebied zij hunne bediening uitoefenen, op straffe van nietigheid, en vergoeding van kosten, schaden en interessen.*

Hic art. 31 nullam sanctionem poenalem habet nisi in art. 12 et 14 R. J., sed si dolo malo ei non satisfacit iudex, fortasse ex art. 183 1) puniendus erit.

Quod attinet ad art. 351 Cod. Qu. Crim., sub no. 2 eadem recusationis causa enumeratur, sed nusquam obligatio, qualis est in Cod. de modo proc., ei imponitur, si vero dolo malo in ejusmodi causa sententiam tulerit, idem remedium, sc. art. 183, adest.

Videtur igitur ob hunc art. Cod. Poen., j. art. 12 et 14 R. J., in lege poenali dispositione poenam statuente in magistratus judicarios, in causis cum proprio commodo cohaerentibus sententiam ferentes, careri posse.

Haec erant, ad quae animadvertenda art. 175 nobis ansam praebebat; transeundum nunc est ad art. 177 sqq, contra corruptionis crimen poenam statuentes.

Hoc crimen, omnibus magistratibus commune, ab omnibus quoque, qui S. S. forum sequuntur, committi potest, ideo non singulorum in annotatione nostra ad hunc art. rationem habebimus, sed solorum ordinum generalium, quum peculiariora quaedam de iis animadvertenda sint.

Amor patriae, scientiae copia, diligentia omnino necessaria in magistratu sunt, sed ante omnia honestas requiritur; hoc verum de omni quocunque munus quoddam publicum gerente, sed numquam verius quam de ordinibus adscripto; non enim hic parti alicui salutis publicae providere debet, sed tota ejus cognitioni submittitur, non singulorum civium curat commodum, sed omnium, non unius fidem fallit, sed totius universitatis, si honeste se non gerit; omnino dici po-

1) Art. 183 Cod. Poen. *Tout juge ou administrateur, qui se sera décidé par faveur pour une partie, ou par inimitié contra elle, sera coupable de forfaiture et puni de la dégradation civique.*

test, si honestas deest, omnes ceteras virtutes eo solummodo fieri periculosiores, quo majore adsint gradu.

Mirandum igitur non est, quod fuerunt legislatores, qui gravissimas poenas contra populi delegatum corruptum statuerunt 1), sed potius quod fuerunt, qui non modo nullam peculiarem horum mentionem fecerunt, sed adeo eos plane silentio praetermiserunt.

Hoc de Cod. an. 1810 dicendum, ordinibus generalibus enim adscripti numquam sub locutione *fonctionnaire public de l'ordre administratif ou judiciaire* (ut legitur in art. 177) comprehendi possunt, et quum nulla alia lex adsit contra eos corruptos poenam statuens, dicendum de iis legem prorsus tacere 2).

Muneris est ordinum in Regiminis acta accurate inquirere et, quae sibi qualemcunque ob causam improbanda videantur, consensum denegare; non mirum igitur Regimini praepositos saepe conatos esse ordinibus adscriptos sibi conciliare, ut facilius ad fines suas pervenirent, quod imprimis per honores et munera fiebat.

Anglia ordinum instituti, ut nunc viget, patria plura hujus rei exempla praebuit 3); huic vitio remedium esse af-

1) Cf. Cod. an. 1791, Sect. V, tit. 1, Part. II, art. 9: *Tout membre de la legislature, qui sera convaincu d'avoir, moyennant argent, présens ou promesses, trafiqué de son opinion, sera puni de mort.*

2) An idem dicendum de spec. Cod. an. 1842 ordinibus rogato? quaestio ad hoc redit an ordinibus adscriptus *ambtenaar* dici possit; quod cum quotidiana loquendi formula pugnat, quamquam fortasse per definitionis hujus vocabuli in eodem illo specimine prolatae generalitatem affirmari possit: *waar in dit wetboek gehandeld wordt van misdaden van ambtenaren, worden als ambtenaren beschouwd, alle op openbaar gezag aangestelde personen.* . . . . cf. art. 1 tit. IX.

3) Famosus hanc ob rem fuit Vir celeberrimus R. Walpole. Cf. Hallam III, p. 190-192 et Brougham: *Eminent statesmen of the time of George III.* Memorandus quoque h. l. Lord North.

ferendum, et delictum non modo puniendum esse, sed quantum fieri posset, quominus committatur, impediendum luce clarius est. Hoc efficere studuerunt in Anglia, regnante Guilielmo III, statuendo, ne quis quaecunque munus tenens parlamenti socius esset 1); quod postea saepius mutatum locum dedit statuto, quod parlamento adscriptum munus quoddam adeuntem non nisi vi novae electionis honores suos retinere posse jubet. Idem hodie apud Belgos locum habet, qui hac in re Gallos secuti sunt 2), quos hoc principium duxisse quoque videtur in constitutione an. 1791 3) plerosque magistratus e delegatorum conventu excludentes; pro parte etiam hoc de nostra L. J. dicendum 4).

Quantopere optandum esset, ut nulli magistratus ordinibus adscripti essent, nemo non videt: metuendum vero, ne hoc modo electorum optio nimis angustis limitibus circumscribatur, quamobrem potius probandum videtur institutum, quod ordinibus adscriptum novum munus adeuntem novae electioni submittendum esse jubet; hoc enim remedium, licet non omni ex parte sufficiat, tamen optimum esse videtur.

Istiusmodi dispositio vero delictum jam commissum non punit: ut hoc fiat opus lege poenali. Neque ea ullam habet vim in corruptionem proprie ita dictam, i. e. pecunia aut aliis rebus datis aut promissis, quae etiam a privatis institui potest, cui imprimis ansam praebere potest pars, quam habet ordinum concilium inferius in S. S. aut aliorum collegiorum sociis aut in suo praeside nominandis, vel

1) Cf. Hallam, l. l. p. 137-142 et Thorbecke, *Aanteekening* ad art. 94.

2) Cf. Chart. an. 1330. art. 69 et Const. Belg. art. 36.

3) Cf. hujus const. tit. III, Cap. I, Sect. III, art. 4.

4) Huc enim pertinere videtur dispositio art. 83 i. f.

etiam jus utrique concilio competens graphiarium eligendi. Fortasse quis credat in hoc casu locum esse posse art. 113 1) Cod. Poen., hoc verum ita non esse, non est quod multis verbis probemus 2).

Specimen an. 1842 in art. 29 tit. 9 distinguit, utrum corruptio ad rem licitam, an ad illicitam consequendam instituta sit, illamque ad delicta, hanc vero ad crimina refert; haec distinctio si servatur, in ordines fere semper mitior poena irroganda; in ordinum enim socium corruptionis is erit finis, ut v. c. huic sententiae potius quam illi fa- veat, aut etiam ut suffragium suum in graphiario nomi- nando in favorem Maevii potius quam Titii emittat; quod non nisi rarissime factum illicitum constituet.

Inde sequitur, specimine illo ordinum corruptorum ra- tione inspecto, fere semper ut poena correctoria imponatur, fore. An vero haec poena sufficit? Non hic est locus, quo quaestionem, utrum poenae infamiam secum trahentes pro- bandae sint necne, dijudicemus, sed animadvertere liceat, hac distinctione servata, poenas infamiae in ea delicta esse statuendas, quibus non, ut ita dicam, legitima, sed mo- ralis infamia inest 3).

1) Art. 113 sic audit: *Tout citoyen, qui aura, dans les elections achetés ou vendu un suffrage à un prix quelconque, sera puni d'interdiction des droits de citoyen et de toute fonction ou d'emploi public pendant cinq ans au moins et dix ans au plus.*

2) Cf., quae supra ad art. 145 et 146 Cod. Poen. diximus. Hoc etiam patet ex poena in art. 113 constituta. Jurium enim civicorum interdicio aptissima est poena in his juribus abutentem.

3) Antiquitas magistratus non modo munus adeuntes se nulla dona accepisse aut donasse, vel accepturos aut donaturos esse jurabant, sed certis temporibus hoc jusjurandum iterabant. Hoc etiam praescriptum in mand. Curiae Milit. art. 21. Cf. etiam edictum an. 1715 et Lex Imp. an. 1814 art. 62.

Haec sunt, quae de ordinibus adscriptis corruptis animadvertenda videntur. Quod ad ceteros magistratus S. S. jurisdictioni subjectos attinet, nullae videntur adesse peculiares difficultates, quae ex muneris natura, quarum tantum nobis ratio est habenda, non ex ipsa causa profluunt. Hoc unum verum animadvertendum, art. 179 Cod. Poen. privatum corruptorem eadem afficere poena, qua magistratum corruptum; an hoc probandum? an idem est delictum privati proprium commodum persequentis, et magistratus fidei publicam fallentis.

Art. 183 Cod. Poen. poenam statuit in iudicem, qui se in sententia ferenda odio aut favore duci passus est. Hunc art. satis esse utilem, ut hiatui art. 175 provideatur, ex iis, quae ibi dicta sunt, intelligere licet; hanc dispositionem vero periculosam esse posse, et fortasse iudicem integrum nonnumquam accusationi cuidam esse exposituram negari non potest, sed in commodum societatis iudicem ita muneris gravitatis immemorem poena afficiendum esse constat 1).

An igitur hic art. servandus est? In utramque partem disputari posse videtur, sed nemo, quod accuratior desideretur descriptio, aegre feret, ita ut ad ejus applicationem factis externis opus esse totidem verbis in lege dicatur 2). An fortasse probandum esset eum restringi ad eos casus, in quibus justa adest recusationis causa, qua in re tamen differentiae ratio est habenda, quae est inter iudicem civilem

---

1) Egregie hac de re Chauveau et Faustin l. l. p. 198; *Le crime du juge est flagrant; il trahit sa conscience, il substitue les passions de l'homme à l'impassibilité du magistrat, il exploite ses fonctions au profit de ses haines; il spolie, il ruine, il deshonne, il tue, en voilant ses violences et ses égarements du masque de la justice.*

2) Cf. Chauveau et Faustin l. l, hoc etiam de art. 183 probantes.

et poenalem; hic enim recusari a reo potest, et ipse rogare, ut a causa abstinere sibi liceat, cum contra illi obligatio imposita recusationis causas, quas adesse sciat, cum sociis communicandi 1).

Haec nobis de hac Cod. Poen. parte observanda, nam ceteris legis dispositionibus de delictis contra rempublicam admissis, ratione nostri argumenti, nullae peculiare inesse videntur difficultates. Quae vero in delicta contra privatos admissa animadvertunt, inter eas et nostrum propositum fere nulla est necessitudo; tantum agendum videtur de delicto, de quo agunt art. 367 sqq. Cod. Poen., qui locus, nostrae disputationis postremus, ad eos omnino pertinent, qui quam maximi sunt momenti.

Art. 367 2) Cod. Poen. enim agit de injuriarum aut contumeliarum auctōribus, sed in alin. exceptionem introducit, ne persecutione vi hujus art. instituta gravarentur, qui munere coacti scripserunt vel dixerunt, quae privatos hujus art. dispositionibus subjicerent. His quoque, qui S. S. sequuntur forum, annumerantur quibus, saepe hujus al. praesidio opus esse potest, et imprimis h. l. in censum veniunt ordinibus adscripti.

Hi enim, ut bene munere suo fungantur, quae vituperanda sunt, significare, populi vota et desideria proferre debent; eorum, qui rebus praesunt, actus reprehendendi incumbit iis officium, qua in re fortasse multa iis proferenda potestati exsecutrici praepositis fortasse odiosa; ut hoc tuti

1) Huc pertinet art. 24 mand. Curiae Militaris.

2) Hanc Codicis partem vero an. 1929 et 1830 mutatam esse memorasse sufficit; illae mutationes enim in nostrum argumentum et in quaestiones, quas h. l. tractamus, nullam habent vim.

facere possint, nullam inde persecutionem metuentes, concessa iis sunt nonnulla privilegia, alia aliis temporibus, sed quae semper eorum securitatem spectant 1).

Primum inter haec privilegium est sanctitas iis concedenda ob ea, quae in munere gerendo dixerunt vel scripserunt. An tamen nulli huic privilegio termini sunt?

Hoc dicendum non videtur: nam ordinibus adscriptus muneris fines transgrediens, idque adhibens, ut privatis odiis et inimicitiiis satisfaciat, aut praeter necessitatem in rebus praepositos invehens, Regi fortasse ipsi non parcens, annon eodem jure, quo privati idem committentes delictum, in jus vocari potest? et haec omnino magna videtur esse difficultas, quomodo de privilegii abusu cavendum sit, quin tamen injustis persecutionibus ansa praebeatur.

Angli hanc difficultatem solverunt de ejusmodi causis jurisdictionem ipsis conciliis ordinum relinquendo; at haec collegia 2) ad hoc non sunt aptissima, et sine dubio ejusmodi

1) Huc pertinet v. c. privilegium eos, nisi concilii sociis consentientibus, in carcerem deduci non posse. Cf., quas supra p. 33 not. 1 de vi ordinum consensui tribuenda disserentes adduximus, Const. Franc., et quae ibi de hoc privilegio in Anglia diximus. Anglorum parlamentum etiam ejusmodi privilegiis gaudere, unicuique notum; Elizabetha tamen regnante, nondum bene definita erant, nam saepe eo tempore socios in carcerem esse injectos, cum aliquas res deliberassent, quas Regina ad se solam pertinere crederet, videmus. Cf. Hallam passim et imp. Cap. V et XVI. Privilegiorum doctrinam nondum fuisse certam inde etiam patet, quod tanquam favores a Rege petebantur, quod tamen solius honoris causa fieri plenissimis verbis significatum in litteris quibusdam ad Jacobum I missis: *That their making request, at their beginning of a parliament, to enjoy the privilege, is only an act of manners, and does not weaken their right.* Cf. Hallam, Cap. VI, p. 224.

2) Nimis enim facile odio moveri possunt haec collegia, quibus jurisdictionis quaedam concedi possit. Anglorum parlamentum hujus rei exemplum praebuit in causa contra Floyd, qui ob levissimum delictum poena quam maxime ignominiosa est affectus. Haec parlamenti juris-



et legiferae et judicatricis potestatum in his collegiis conjunctio cum nostris institutis hodiernis nullo modo convenit, quamobrem hic difficultatis solvendae modus apud nos nullus est utilitatis.

Ut verum accusatio contra ordinibus adscriptum inferri possit, quin privilegium ad rite munere fungendum necessarium violetur, auxilium ferre videtur lex Imp. Constituto enim, ut actio ideo instituat, necessarium fore ordinum ipsorum consensum, commoda, quae ex instituto Anglico profluunt, supra enumerata servantur, incommoda, quae ei inhaerent, vitantur, et omnia inter se cum nostra L. J. conveniunt: An vero vi art. 175 L. J. consensus jam in ejusmodi causa requiratur, dubitari potest; neque video quamnam vim in hanc rem haberet alterum concilium, cujus socius non est delinquens, consentiens.

Paulo accuratius tamen de diversis hujusmodi, ab ordinibus adscripto commissi, delicti speciminibus agendum.

Possunt enim verba obnoxia simpliciter esse edicta; hic est

dictio eo est aucta, ut omnes sibi subjecerit, qui s. ipsum concilium s. singulos socios contumelia affecissent; quam vero eadem instituta apud diversas gentes aliam habent descriptionem? Parlementum Anglicum jus dicit in propria causa; concilium contra Batavam ne accusationem quidem inferre posse videtur, et nullo fruitur legum praesidio contra cujuscunque generis accusationes, quae quotidie et in diariis publicis et in libellis adversus id proferuntur, nisi eo, quod, ex M. P. contra omnia cujuscunque generis delicta custodiente profluit. Annon hujus rei legislatori ratio esset habenda? Essetne etiam h. l. ut supra quoque de art. 310 Cod. Qu. Crim. animadvertimus, conciliiis legiferis auxilium ferendum? Primum exemplum parlamenti in socios nimis vehementer aut irreverenter locutos jus dicentis, ex historia notum, est anni 1547, quamquam verisimile hoc privilegium antea non incognitum fuisse. Antiquissimum jurisdictionis ad concilii honorem defendendum exercitae exemplum est anni 1543, quo ad poenam carceris condemnati plures officiales, qui ad socium Ferrers in carcerem conjiciendum auxilium tulerant. Cf. Hallam I, p. 199 et 196.

casus communis, quae nullis ampliōribus locum dat observatiōibus, sed praeterea possunt esse typis mandata. Semel dictis, quae vituperanda, significatis, quae significanda erant munere suo functus est delegatus, typis ea mandandi nulla ei incumbit obligatio; si vērō pronuntiata sunt in conventu publico, non video, cur non publice dicta per prelum, quantum fieri posset, divulgare liceret; et omnino Lex, quae, conventus ordinum publici ut sint, vult, sibi ipsi esset contraria, si solam viam eos revera publicos fieri, i. e. cum toto populo communicari ibi peracta, prohiberet.

Quaesitum, an etiam ea, quae, ut in concilio pronuntiarentur, composita, non vērō pronuntiata sunt; et postea typis mandata sunt, huc pertineant 1). Haec quaestio neganda mihi videtur; nam hoc modo nimis lata via ad totius instituti abusum adesset; sibi imputare debet auctor, quod ea non pronuntiaverit, typis ea mandare quidem potest, sed hoc suo facit periculo. Exceptio tamen facienda, quod attinet ad ea, quae, ipso jubente concilio, publicata sunt; horum enim non auctor, sed concilium totum rationes reddere debet.

Hactenus de publicatione eorum, quae in munere gerendo quis dixerit, si publice sunt pronuntiata; si contra in conventu non publico, puta in concilio superiori, sunt omīssa, mutari videtur quaestio. Per prelum enim divulgatio ad munus proprie non pertinet, sed ut conventus revera publici dici possint, necessaria videtur; et hoc secus in conventibus secretis, rerum igitur ibi peractarum per prelum divulgatio ad ordinaria hujus generis delicta pertinet 2).

1) Cf. Chassan, *Traité des délits etc.* I, Cap. IV, § 2. Multas ejusmodi orationes edidit de Chateaubriand, quae tamen numquam sunt pronuntiatæ; cf. *Discours politiques* passim.

2) Huc pertinebat causa historiae patriae studiosis satis nota, an-

Hic tamen exceptio facienda in favorem eorum, quarum divulgationem jusserit concilium ipsum.

Non vero videtur ejusmodi legis praesidium ad ordinum tantum concilia generalium pertinere, sed etiam ad aliae jusdem generis trahendum. Ita et ord. prov. huc pertinent; an etiam, magistratus judiciarii? His enim quoque saepe incumbit eloqui, quae aliis odiosa esse possunt; M. P. excercentes nonnumquam (non modo in ipsum accusatum, sed etiam in alios, talia emittere debent, quae eos ignominia afficere possint;

nis 1778-1782 inter Ordines Transislanos et virum nobilissimum J. D. v. d. Capellen agitata. Hic enim origine Gelrus, adjuyante Guilielmo V, in Trans-islanorum nobilium ordinem acceptus, quum saepe jam in rebus minoris momenti vehementer a collegis dissensisset, tandem an. 1778 sententiam emisit, de servitute, nomine *Drostendiensten* cognita, non legitima, immo juri naturali contraria et expressa lege abrogata. Orationem praeterea, in qua hanc sententiam defendebat, typis mandavit, quod tantopere excitavit collegas equestri collegio adscriptos, ut eum et ordinibus et hoc collegio excluderint, donec injuriarum actio, ob immoderate in illa oratione dicta, contra eum instituenda, ad finem perducta esset. Cf. hac de re: Jhr. J. D. v. d. Capellen etc. *Regent, et Deductie voor de Heeren van de Ridderschap van Overijssel*, quorum posterior ad defendendos Nobiles conscriptus, prior vero Cappeleno favet. Imprimis quaestio erat de exclusione via facti, quam facultatem sibi competere contendebant ordines; quidquid sit, haec res ad historiam pertinet, sed liceat nobis eam hodiernis temporibus adaptare, et rogare, an hodie ordinibus haec facultas competat, quisnam hodie sit status ordinibus adscripti, quamdiu sub reatu sit. His de rebus enim lex nihil definit, et etiam decr. del. m. ord. hoc loco nullum nobis fert auxilium, et omnino difficultatem facere posset ordinibus adscriptus, ad quem persequendum concilii consensus rogaretur, ipse suffragium ferre volens. Excludendi jus ordinibus adesse defendi posse non videtur; argumenta enim, quae ex Anglicò concilio hac facultate fruente duci possent, hoc loco nullam habent vim, cum cohaereat haec potestas cum tota hujus concilii jurisdictione, quae a nostris institutis plane aliena. Cf. Art. 21 edict. *Reglement op de zamenstelling der provinciale staten*. Exclusus etiam fuit Onno Zwiër v. Haren. Hanc poenam verum collegium judiciale an. 1799 pronuntiavit in Virum Nob. G. W. v. Zuylen v. Nievelt.

judex qui de causa cognoscere debet, solus accurate tenet, quae inter accusationem et ignominiosae dicta fuerit necessitudo, solus igitur bene djudicare potest, an revera ad accusationem probandam necessaria essent illa. Haec ad defendendam sententiam, etiam in ejusmodi causis, ut actio injuriarum institui possit, collegii, penes quod factum in judicium deducendum perpetratum, consensus, requirendum esse, militat. Varias tamen adesse rationes, quae, ut hoc minus sit probandum, efficiant, negari non potest: quarum primaria est: M. P. exercentes numquam id tribunal, cujus participes sunt, judicem agnoscunt, sed semper superioris forum sequuntur, actio igitur ad superius inferenda esset judicium, quod tamen eam pertractare non posset, nisi inferioris impetrato consensu; praeterea in his causis quaestio facti i. e. quaestio, utrum revera dixerit in judicium deducta accusatus necne, sola ullius est momenti, et haec quaestio ab inferiori judicio prorsus djudicaretur in consensu dando aut denegando, unde superioris his in rebus nulla esset pars nisi legum applicatio.

Haec et alia eo ducunt, ut ejusmodi consensum ad M. P. in jus vocandum requiri non magnopere probemus; an melius tamen videtur regulam magistratus judicarios superiores semper tribunalis forum sequi, exceptionem pati et injuriarum actiones, ob ea, quae in judicio sunt dicta, institutas persequendas esse penes id collegium, coram quo emissa sint? quidquid sit, principia, quae supra de ordinibus, quae quasi tales dixerint, typis mandantibus proposuimus, etiam in his servanda videntur.

Art. 367 Cod. Poen. al. igitur vim suam habet in qualescunque officiales; quod ad nonnullos tamen attinet, speciali legum praesidio opus est; inter hos primo loco sunt ordinibus adscripti, quorum securitati satis provisum esse

videtur instituto, collegii, cujus sunt socii, consensu opus esse ad actionem instituendam; quae in conventu publico dicta sunt, ea etiam typis mandandi sociis est facultas; non verum idem dicendum de iis, quae dicta sunt in conventu non publico, horum per prelum divulgatio ad ordinaria, quae spectat art. 367, delicta pertinet; et nulla ratio habenda eorum, quae ut in conventu edicerentur, conscripta, non vero pronuntiata, in lucem prodeunt. Eadem cautio etiam ad alios magistratus, si ea egent, transferri potest, sed, quod attinet ad M. P. gerentes, hic difficultatem solvendi modus non aptissimus videtur.

Hic jam videtur disputationi nostrae finis imponi posse; expositis, quae in legibus nostris de Jurisdictione, vi art. 175 et 176 L. J. et art. 92 R. J., S. S. competente, jam constituta sunt, praeterea vires periclitati sumus in ea, quae adhuc nondum propriis legibus gaudent; in lege poenali hodierna quinam adsint hiatus, ostendere conati, nonnumquam etiam remedium afferre ausi sumus, multas et quidem gravissimas juris publici quaestiones attingentes. Multa copiosius et accuratius dici potuissent; fortasse nostro statui politico nostratiumque indoli magis convenienter multa constitui possunt; lector vero, si quem habeat hic libellus, permavias regiones iter nobis fuisse intelligat.

TANTUM.

Senatus Supremo dijudicandi est facultas, an iudicia, qui-  
 bus sententia, a qua provocatum, nititur, conveniant cum  
 art. 412 Cod. Crim. precepto.

## THESES.

### VII

#### I.

Art. 56 Cod. Pœnitent. non pertinet ad rem, qui ante iudicium  
 Characterismus consensus Ordinum Generalium, id est quo  
 sermo est art. 175 Leg. Imp., plane est politicus; spectat jura  
 politica et obligationes populum inter et Principem, et societatis  
 statum.

### VIII

#### II.

Testamentum holographicum, vigente lege Francis con-  
 Ordinum Generalium consensus non est loco decreti ju-  
 dicialis ad actionem instituendam.

### IX

Merito nostra Lex Imp. accusationes in administratos pro-  
 latus Senatus Supremi cognitioni subiecit.

### X

Milium recte de Pinto: Huisling tot het Wetboek van  
 Koophandel I p. 6. Bij het Wetboek van Koophandel wordt  
 A Curiae Militaris sententiis ad Senatum supremum pro-  
 vocationem fieri posse Lex Imp. requirere videtur.

## V.

Senatui Supremo dijudicandi est facultas, an indicia, quibus sententia, a qua provocatum, nititur, conveniant cum art. 442 Cod. Qu. Crim. praecepto.

In novo Cod. Poen. Batavo servanda videtur distinctio delictorum in *misdaden*, *wanbedrijven* et *overtredingen*.

## VII.

## I.

Art. 56 Cod. Poen. non pertinet ad eum, qui ante annum 1838 vi art. 67 eod. poena infamiam secum non trahente affectus est.

## VIII.

## II.

Testamentum holographum, vigente lege Francica conscriptum, et post annum demum, de quo loquitur art. 49 Leg. Trans., apud tabellionem modo legitimo depositum, vim habet.

## IX.

Prohibitio art. 411 Cod. civ. ad parentes ob alias causas a tutela remotos non trahenda videtur.

## X.

Emphyteusis in perpetuum constitui potest.

## XI.

Dispositio art. 140 Cod. civ. non semper obtinet.

## XII.

Liberatio, quae fit vi art. 377 no. 2 Cod. civ., etiam locum habet, matrimonio per divortium dissoluto, et nullis ex eo liberis superstitis.

## XIII.

Traditio Symbolica Jure Romano nulla est.

## XIV.

Altero haerede haereditatem vendente, altero eam repudiante, pars repudiata ad emptorem transit.

## XV.

Lex ult. D. de cond. causa data, cum Leg. 5 § 1 D. de praescriptis verbis, conciliari potest.

## XVI.

Minus recte de Pinto: Handleiding tot het Wetboek van Koophandel I p. 6. *Bij het Wetboek van Koophandel worden alleen vastgesteld die exceptionele wetsbepalingen, welke uitsluitend eigen zijn aan koophandel en kooplieden.*



## XVII.

Acceptans ad solvendum non tenetur, si transantis subscriptio est falsa.

## XVIII.


Acceptatio sub conditione non semper est inutilis.

## XIX.

Probanda est art. 36 al. 2 Cod. Merc. dispositio; improbandum contra, quod in art. 37 al. 3 eod. est constitutum.

## XX.

Leges mercium invectionem prohibentes ad tempus utiles esse possunt; in iis abrogandis quam maxima prudentia opus est.



XVII

... ..

XVIII

... ..

XIX

... ..

XX

... ..